V 640

THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY

B
L 177 m

Vahlen Library
1913

Mazzolari, Giuseppe Mariani

JOSEPHI MARIANI PARTHENII

[pseud.]

DE VITA ET STUDIIS

HIERONYMI LAGOMARSINI

E SOCIETATE JESU

COMMENTARIUS

A

FRANCISCO CARRARA BERGOMATE

ENARRATIONIBUS AUCTUS ET ILLUSTRATUS

et nunc primum novis additis adnotationibus

EDITUS

A VINCENTIO GEORGIO

VENETIIS REGIO LIBRORUM CENSORE.

Accessit ejusdem *Diatriba*, qua Didaci Lainii e Soc. Jesu fama a calumniis *Jacobi Augusti Thuani*, Fr. *Pauli Sarpii Veneti* & Gallorum Scriptorum *Dictionarii Virorum Illustrium* vindicatur.

Reisch. 1805.

VENETIIS MDCCCI.

TYPIS ANTONII ROSA.

Cum regia approbatione.

Vixit, vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum, & sermone vulgabitur, postquam ab oculis recessit ..... nobis tamen quærendus ac desiderandus est .... mihi vero præcipue, qui illum non solum publice, sed etiam privatim, quantum admirabar, tantum colebam. *Plin. Epist. I, Lib. XI.*

B
L177m

170[illegible]16 A.M.F.

VINCENTIUS GEORGIUS
HUMANISSIMIS LECTORIBUS
S. D.

Debuerat sane elegantissimus hic de *Hieronymi Lagomarsini* vita ac studiis Commentarius, non a me, sed vel ab ejusdem Auctore Parthenio, vel saltem a Francisco Carrara, qui in eo illustrando augendoque operam impenderat suam efferri in publicam lucem, Lectores humanissimi; at ii casus, exarato vix a Parthenio Commentario, consecuti sunt, ut quod mihi eventurum numquam putaveram, ut illius libri edendi Auctor essem, quem tantum a Parthenio scriptum sciebam, nec tamen umquam legissem, id profecto mihi nihil tale cogitanti contigit, atque ita contigit, ut dolendum mihi potius hanc ipsam ob causam, quam lætandum plane perspiciam.

Nam quod ad Parthenium Commentarii Auctorem attinet, formidolosis ille temporibus serviens, vulgari statim opus suum noluit, ne dum sociorum animos, recenti adhuc extinctæ Societatis Jesu vulnere saucios consolari vellet, in

2

turbulentissimi temporis recordationem incurrens, offenderet quempiam; hoc tantum a se tentari posse ratus, ut Autographo adservato, in publicum efferri tunc sineret, cum sedatis hominum animis, tot Societati adversantium odia deferbuissent. At paucis post annis, Parthenio e vivis erepto, timendum sane fuerat, ne (quod plurimis hujusce generis scriptis evenire solet,) Parthenii etiam Commentarius, vel furtim abreptus, vel penitus neglectus in tenebris delitesceret; quod ne contingeret, beneficio *Exc.mi Matthæi* Joviensium Ducis factum est, qui traditum sibi Autographum Parthenii, tamquam tutor bonus ac fidelis, ita apud se semper esse voluit, ut iis tantum videndi exscribendique etiam potestatem faceret, de quorum fidelitate ac prudentia dubitare non posset.

Quod ubi Carraræ nostro renunciatum est, nihil ille antiquius habuit, pro summo quo ardebat studio in clarissimorum hominum scriptis colligendis edendisque, quam, ut ipso Autographo diligentissime exscripto, simile prorsus exstaret exemplum, eoque cum Autographo diligenter collato, pluribusque a se additis enarrationibus, ita expoliri curavit, ut ornatius in homi-

num conspectum venire posset, habebatque hoc in animo, ut ex ipso sæpe audivi, quo duorum excellentium hominum, sibique carissimorum jam prope senescentem memoriam ab interitu vindicaret.

Anno igitur *MDCCCI*, venerat ille Venetias, tum ut qua in Urbe facilior erat cum tot Typographis transigendi ratio in scriptis, quæ collegerat edendis, expectatam jamdiu operum Lagomarsini, Parthenii, ac Julii Cordaræ editionem perficeret, tum ut amplissimi S. R. E. Cardinalis *Aloysii de Valentibus*, qui per eos dies in Cœnobio Carmelitarum Calceatorum hospitabatur, inita ejusdem contubernii societate, quotidiano usu convictuuque frueretur; quod Cardinali, bonarum artium omnium, & Litteratorum Patrono ita gratum accidit, ut illum humanissime exceptum in suam familiaritatem reciperet, quæ ita quotidiana consuetudine aucta est, ut nihil posset esse conjunctius. His accedebant nostrorum hominum, qui tum Venetiis morabantur, quotidianæ fere in Societatis amantissimum Cardinalem grati animi & observantiæ significationes, quorum ille colloquiis summopere delectabatur, additique ita Carraræ nostro stimuli ut

hujus Commentarii saltem, editionem properaret, quod ille brevi se facturum confirmavit.

Verum gustatam vix Carraræ adventu voluptatem, acerbissimus sane casus in squallorem luctumque convertit, initaque consilia hujus edendi Commentarii, inexpectata suavissimi hominis morte pervertit. Nam gliscentibus Junio mense hujus ejusdem anni tota Urbe pestiferis febribus, eodem morbi afflatu correptus & ipse, paucis diebus extinctus est. Carissimi hominis jactura omnibus, qui illum noverant, acerba satis, mihi tamen fuit acerbior, erepto sodali amantissimo, cum quo pari ferme ætate fueram Romæ anno MDCCLI in Societatem adscitus, cum quo Tirocinium non modo, sed & Rhetoricæ in Romana probationis Domo, & Philosophiæ, & Theologiæ in Romano Societatis Collegio cursum confeceram, cum quo tum Bassani, tum Venetiis jucundissime vixeram, quemque olim Lagomarsino ejusque studiis ita mecum addictum videram, ut, quemadmodum Lagomarsinus ipse jocari solebat, principio cuidam inter Philosophos vulgatissimo nostram niti amicitiam diceret, nullo pacto solvendam; cum enim sibi ipsi uni, tamquam tertio duo-

rum conjuncta essent intimæ familiaritatis officia, effici illud certe debuerat, ut pari inter sese essent amicitiæ copulatione conjuncta.

Præstabat vero Carrara, tum ingenii vi non mediocri, tum singulari Historiæ Litterariæ, seu Philologiæ scientia, qua sibi celebriores inter litteratos ita devinxerat, ut eum plurimi facerent, atque illi uni scripta sua, tum custodienda, tum edenda, tum illustranda committerent, quos inter, præter Parthenium nostrum, fuere præcipui, *Emmanuel de Azevedo*, *Franciscus Antonius Zaccaria*, & *Julius Cordara*, inter Jesuitas doctrinæ laude celebratissimi: atque hic *Cordara* ille idem est, Societatis egregius Historicus, qui Sextæ Societatis Jesu Historiæ Partis Tomo priori jam edito, expeditum alterum, præloque brevi tradendum reliquerat, quemque in Domus Professæ tabulario diligenter Romæ asservatum se vidisse, Carrara idem mihi testificatus est. Reliqua vero Cordaræ scripta, quorum hæres Carrara scriptus fuerat, habebat ille in animo publici juris facere, cum depulsa, qua nunc jactantur litteræ, bellorum tumultuumque tempestate aura mitior pacisque nuntia reflare incœpisset; sed & Paulli Segne-

ri *Junioris*, me hortante, Opera omnia jam ediderat Bassani Remondinianis Typis, una cum copiosissimo illo, *Dictionario Virorum illustrium*, a Gallicis Scriptoribus Gallice olim edito, & Italice jamdiu vulgato, at a Carrara celebriorum, inter Italos Scriptorum præcipue, plus quinque millibus aucto nominibus, ut novi profecto operis auctor dici possit; cujus laboriosissimi operis, in quo parando annis desudaverat pluribus, haud parem ab iis qui tantum sibi onus imposuerant retulisse gratiam, mecum sæpissime conquestus est.

At hæc aliaque multa, in bonum rei litteraria molientem, inexpectata mors intercepit. Ægrotanti, omnia benevolentiæ & Christianæ caritatis officia præstitere, tum optimi Patres Carmelitæ apud quos morabatur, tum plurimi ex nostris, qui eum summopere diligebant, quos inter præcipui fuere, Aloysius Comes Mozzius Ecclesiæ Cathedralis Bergomensis Archipresbyter, Benedictus Vulpius Bergomensis, qui Regius & ipse Librorum Censor tunc temporis fuerat, tum Franciscus Gusta Hispanus aliique, me uno tantum ab extremo amici morientis amplexu prohibito, quod iisdem diebus enormi

sanguinis profluvio graviter acerbeque vexatus, pari, immo majori fortasse in vitæ discrimine fuerim, cum ita viribus omnique sensu destitutus proxime ad mortem accesserim, ut eodem pene cum Carrara funere efferendum amici putaverint: at Deo sic volente res cecidit, ut ego revocatis viribus melius habuerim, vi morbi victus, at longiori vita dignior Carrara defecerit: Ego vero, contra votum superstes æxedificare opus, quod ille incœperat debeam, & duorum Scriptorum, qui Lagomarsinum laudare instituerant, acerbam ferre jacturam, ob quam summo debeam in luctu ac squallore versari.

Religionis (quam vivens semper Carrara coluerat) validiora præsidia morienti non defuere: modico elatus funere in Patrum Carmelitarum sepulchro humatus est. Hæredem supellectilis minime lautæ, scripsit Felicem majorem natu Fratrem, cum quo in Societate vixerat, Libris tamen scriptisque Benedicto Vulpio legato relictis, cui quidem doctissimo homini, mihique amicissimo, cum consilium de edendo hoc Mariani Parthenii Commentario aperuissem, roganti mihi, pro sua humanitate non defuit, eodem illo tradito Codice, quem Carrara enarra-

tionibus quibusdam ornaverat suis, licet non plene perfectis; eas tamen ex commentariolis suis excerptas excrisptasque, exhibendas lectoribus censui, Auctoris addito singulis nomine, nonnullis tamen e paupere meo penu additis adnotationibus, quibus fieret Lagomarsini Historia copiosior: ea enim addidi, quæ ex diuturna plurium annorum consuetudine, qua illi conjunctissimus fui animo inhæserant meo, ne quid ignorari de summo hoc viro contingat, quod literatis hominibus, iisque præsertim qui illum tum Florentiæ, tum Romæ noverant, perjucundum fore censuissem.

Decreverat Carrara noster duos e novo Dictionario suo huic Commentario adjicere Articulos, quibus tum Mariani Parthenii, tum Lagomarsini vita continetur, at cum iis adjectis Libri hujus moles nimium excresceret, satius esse duxi ex iis, illa tantum decerpere, quæ scitu digna magis viderentur, nec Marianus attigisset in Commentario suo, ne actum, ut ajunt, agere viderer iis repetitis, quæ de utroque fuerant a Carrara jam scripta. Reliquum est, ut quidquid operæ laborisque in hoc concinnando volumine collocavi, benigno animo faventi-

que accipere, Lectores humanissimi, ne dedignemini, non operis merito a me non satis adhuc firma valetudine, gravissimisque Regiæ Librorum Censuræ studiis distento subsecivis horis dolati potius, quam perfecti, sed clarissimorum virorum recordatione commendati, qui bono literariæ reipublicæ nati, æternam ingenii doctrinæque famam posteritati reliquerunt. Attexendam vero hic Præfationem duxi, quam editioni, a se dispositæ præficiendam, Carrara scripserat.

FRANCISCUS CARRARA
BERGOMENSIS

LECTORI S. ET LITTERATURÆ ACCESSIONEM.

Vitam Hieronymi Lagomarsini e Societate Jesu, viri, non nomine, quod satis liberaliter usurpatur, sed re profecto clarissimi, ac Latini sermonis & amantissimi & omnium ætatis suæ peritissimi a Josepho Mariano Parthenio, seu a Josepho Maria Mazzolario ejusdem Societatis (qui pro summa ejus erga Deiparam pietate Marianus Parthenius *voluit appellari) graphice conscriptam ex Autographo, quod apud amplissimum Principem Matthæjum Joviensium Ducem extrema Auctoris voluntate servabatur, exscribendam curavi. Ut vero in manus meas pervenit, de ea etiam edenda cogitavi. Videbam enim primum me non tam virtuti ac merito duorum præstantissimorum hominum, quos sodales ac contubernales olim meos, mihique longa ac summa familiaritate conjunctos sum admiratus, quam grato memorique animo fore satisfacturum. Non*

dubitabam deinde reipublicæ etiam literariæ, si eam vitam in lucem emitterem, rem pergratam esse facturum, iisque præsertim, qui ab insolenti quodam Latini sermonis quo turpiter nonnulli sunt corrupti fastidio alieni, literarum latinarum fugientem jam gloriam, omni scriptorum genere retinere quodamodo conantur.

Hæc sunt, quæ me ad hujusce aurei Commentarii editionem curandam, impulerunt. Pluribus non te moror. Qui & quanti propter Latinæ linguæ excellentiam, Lagomarsinus & Parthenius extiterint, qui profecto cum priscis ætatis aureæ Scriptoribus sunt comparandi, vel ex hoc ipso Commentario (cui adnotationes nonnullas adjeci) atque ex iis etiam, quæ ego de Scriptoribus iisdem inter tot millia de quibus in Novo virorum illustrium Dictionario, *Bassani edito A. MDCCXCVI, sermonem feci, quæque hic ad eorum gloriam perennandam addenda volui, facile intelliges. Fruere igitur mea cura ac diligentia, Lector humanissime, & a me plura (a) alia, & quidem majora (quod sine ar-*

(a) In copiosa enim scriptorum supellectili, quam moriens Carrara reliquit, multa sunt, quæ jacere in tenebris omnino non debent, neque id, pro mea virili permittam; atque

rogantia dictum videri velim) ad litteraturam quæ spectant edere properante, quæque jamdiu avidissime ab eruditis viris desiderantur, expecta. Vale.

atque hoc de Julii Cordaræ e Soc. Jesu scriptis præcipue intelligi velim, quorum editionem, ubi de illa cum Venetis hisce Typographis transigere contingat, diutius ab eruditis expectari non sinam. (*Georgius.*)

JOSEPHI MARIANI PARTHENII (1)

DE VITA, ET STUDIIS

HIERONYMI LAGOMARSINI

E SOCIETATE JESU

AD

JOANNEM MARIANUM (2) FRATREM.

I. Petisti a me sæpe, *Mariane Frater*, & vero etiam efflagitasti, ut Hieronymi Lagomarsini vitam, qui cum tot Annos conjunctissime, & familiarissime vixi, latinis mandarem litteris, non ut tanti viri memoria ab oblivione vindicetur; est enim plurimis ejus ingenii editis monumentis, & vulgatis doctissimorum virorum testimoniis immortalitati consecrata, sed ne vitæ ipsius series ab exordio repetita, & ad exitum usque, perpetua narratione, unoque quasi textu, deducta desideretur. Verum quid est, mi frater, quod tibi aut petenti negare, aut flagitanti possim abnuere? illud præsertim cum a me petas, quod, etiam si tua non adesset flagitatio, & voluntas, sponte tamen mea facturus essem. Nunc vero cum nobis *tantum otii*

concessum sit, (3) quantum non dicam cogitare, sed sine piaculo ne optare quidem poteramus; quid est, in quo impendi a me possit melius, quam in ornando eo viro, cui ego tantum *debeo*, *quantum nemini?* (4) Ille me primum Roma Florentiam missum humanissime excepit, ille me peramanter erudivit, ille mihi ad hanc studiorum rationem, & suscipiendam, & ad hoc usque tempus retinendam auctor, & princeps extitit, ut ejus potissimum suffragio in rhetoris munere ei fuerim successor datus. Quo ex tempore non destiti hæc studia colere, in quibus si non excellentiam, at *aliquam fortasse mediocritatem* (5) sum assecutus. Quare ego illum, quoad vivam, non tam ut amicum, quam ut *doctorem institutoremque* (6) meum observabo, & diligam. Quod versibus illis, qui lib. VI *Electricorum* meorum leguntur testatum volui. Quæ quidem (ut opinor) non sincerum minus, quam gratum animum, memoremque declarant. Quare vides, nihil peti a te potuisse, quod mihi gratius accideret; nihil meo quod esset ingenio accommodatum magis, qui gratus, & esse & haberi volo, nihil denique æquitati congruentius, quæ jure suo postulat, ut mea hæc qualiscumque scribendi ratio ei potissimum serviat, cujus hortatu præceptisque conformata fuit. Verum quantum voluntas me

tua

tua, & vero etiam mea me commovent, tantum rei magnitudo, & difficultas deterret. Scribendum est enim de viro doctissimo, & in omni doctrinæ genere præstantissimo, cujus variam, multiplicemque doctrinam quam facile mirari possumus, tam difficulter, qualis re ipsa fuit, legentibus exhibere. De eo autem latine scribendum, quem propter summam ejus linguæ notitiam, & excellentiam non ego eum solum elegantioribus ætatis nostræ antepono, sed cum priscis ætatis aureæ scriptoribus comparo. Quæ duo fateor, me sic conturbant, atque exanimant, ut prope modum ab instituta scriptione avocent. His accedit tertium, quod scribendum est in summa monumentorum inopia, quibus dispersis, ac dissipatis destituor, ut propemodum mihi ea tantum suppetant, quæ memoriæ, qua non admodum felici utor, sepire potui, & custodire. Obsequar tamen, carissime Frater, voluntati tuæ, & ingenio meo, facultate quantumvis impari, addo etiam animo ob recentem calamitatem minus, ad tantum munus idoneo, & quæ me causa ab officio, ac pietate profecta, ad conficiendos, quos edidi, *Commentarios* impulit, eadem ad hunc elaborandum impellet, ut si minus argumenti dignitati satisfecero, neque expectationi tuæ respondero, eorumque apud quos magnum Lagomarsini nomen est, illa co-

gitatione consolabor, me aggressum esse rem officio, ac pietati consentaneam.

II. *In Portu S. Mariæ* (7) ad oram freti Gaditani natus est Hieronymus Lagomarsinus Anno MDCXCVIII prid. Kal. Octobris, quæ dies est Sancto Hieronymo Sacra, unde illi nomen inditum fuit. Patrem habuit Ludovicum Lagomarsinum, Matrem Rosam Cuneam, alterum Genuensem, alteram Hispanam. Et familia quidem Lagomarsina Genuæ nobilis habetur, cui ad reliqua, quibus distinguitur, ornamenta, singulare accessit decus ex affinitate *cum familia Rezzonica*.

add. Hanc porro affinitatem fateri & agnoscere minime dedignatus est CLEMENS XIII, cum ei ipse obtulit *Julii Pogiani* Epistolas ab se editas, & animadversionibus illustratas. Transacta eo in Portu infantia una cum Matre Genuam venit, ubi liberaliter educatus, & iis moribus, quibus a piis parentibus prima formari ætas solet, imbutus. Exacta Genuæ pueritia politioris institutionis ergo ad *Pratense in Etruria Seminarium* (8) missus fuit. Florebat tunc Seminarium illud summa frequentia, & celebritate nobilium atque ingenuorum adolescentium eo ex tota Italia commeantium. Mirifice enim probabatur a Parentibus, de liberorum pietate, ac doctrina sollicitis, severa ejus, & constans

disciplina. Nihil in illo viguit magis, quandiu in Societatis potestate mansit, nihil habitum est prius, quam ut ejus Convictores, & pietati impense studerent, & serio litteris operam darent.

III. Itaque prorsus amotis, quæ juvenilem levitatem a rectissimis occupationibus avocare solent, in id unum, cujus gratia missi fuerant, sedulo urgendum incumbebatur. Exulabant artes illæ, quæ tametsi *Equestres* appellantur, dici tamen non potest quam sint liberalibus studiis inimicæ, quæ lenociniis suis improvidos adolescentium animos ad se rapiunt, ut, abjecta prorsus excolendi ingenii, atque animi cura, diligentia omnis in pedum, ac membrorum conformatione impendatur. Hac vigente institutione, fere omnes hujus Seminarii Alumni, pro cujusque ingenio ac facultate, ab eo sic abjerunt, ut litteris non leviter imbuti, & ad pietatem probe exculti ad diversa Reipublicæ munera cum dignitate capessenda satis idonei atque instructi haberentur. Ex his bene multi ad nostram Societatem accesserunt, in eaque operam egregie collocarunt suam, atque eorum nonnulli etiam insigniter honestarunt, in quibus recensendus in primis est Lagomarsinus. Non dissimulabo hoc Societatis fuisse invidiosum; sed de invidia non est laborandum, quandoqui-

dem nullum certius, tametsi adversarii sequiorem in partem interpretati sint, nullum tamen certius rectæ atque optimæ institutionis indicium proferri potest.

IV. In hoc Seminarium admissus Lagomarsinus, ab ipso aditu inter æquales eminere cœpit, suavitas morum omnium illi conciliavit benevolentiam, excellens ingenium admirationem. Sedulam ad eas, quæ tradebantur, artes addiscendas diligentiam attulit, nec minorem pietati adhibuit, & sic, utramque institutionis partem complexus, utrique egregie, cumulateque satisfecit. Nec vero non operam supervacaneam immerito existimatam, atque a plerisque impatientia quadam neglectam in apta, atque eleganti litterarum conformatione sedulo posuit, ut jam tum earumdem apicibus venuste, ac distincte conformandis assueverit. Qua de re præceptori suo gratiam semper habuit, ut hoc nomine profiteretur se ei debere non parum. Et vero litterulas ad artis præscriptum sic effingebat, ut eas non tam videretur exarare, quam pingere. Itaque, quæ plurima manu sua conscripta reliquit, perinde inoffensis oculis legi possunt, ac typis edita essent nitidissimis. Hoc minime reticendum, & specimen apponendum idcirco existimavit, ut, quæ consecutus turbo ejus scripta disjecit, ac dissipavit, in quorum

tandemcumque manus detulerit, has veluti nota discriminentur, & agnoscantur.

V. Primis latinæ linguæ rudimentis celeriter perceptis, iisque, in quibus plerique hærere diutius solent, tricis expeditus, & Grammaticam satis edoctus, ad Rhethorem audiendum accessit. Hoc tempore ei duo contigerunt, quæ sibi ipse mihi affirmavit extitisse admodum salutaria. Alterum, quod fervidum adolescentis paullo licentius exultantis ingenium compressit; alterum, quod acriores ei stimulos ad diligentiorem litteris operam dandam admovit. Accidit enim, ut puerili levitate vi in cratem ferream insinuatum caput, nullo renisu retrahere valuerit. Hæc res misellum vehementer conturbavit verentem, ne se inde posset amplius expedire. Et vero fabri ferrarii opera adhibenda fuit, qui, laxata crate, eo vinculo solutum liberavit. Quo casu compressa adolescentis levitas est, didicitque se cautius gerere in posterum. Alterum est, quod cum ad Dialecticam properare festinantius cuperet, litteras ad P. Laurentium Lagomarsinum e Societate Jesu Genuam latinas dedit, ut sibi ejus consensu a Rethorica ad Dialecticam gradum facere liceat. Quibus litteris, quod negligentius scriptæ erant, respondit, sibi videri non esse de progressu ad superiorem Scholam, sed de regressu ad infe-

riorem cogitandum. Hæc quoque res ingenuum adolescentem non mediocriter perculit, effecitque, ut alterum Rethoricæ annum coactus impendere, studia Humanitatis diligentius colere instituerit. In his pro ætatis modo valde profecit, ut reliquos condiscipulos pangendis Carminibus, & scribendis Orationibus facile superarit. Hac ingenii præcellentia cum esset, quam morum integritas maxime commendabat, de capessendo vitæ genere non ei fuit diu multumque deliberandum. Sensit enim se ad illam hominum Societatem ferri, in qua duo illa eminabant, in quibus ille præstabat. De Societate igitur ineunda consilium cœpit, cui si quidem adscriptus esset, id sibi futurum valde salutare non dubitavit. Captum consilium executioni mandare facile admodum fuit, illa ipsa, quam dixi, ingenii præcellentia, & morum integritate viam muniente, & ei aditum in Societatem reserante.

VI. Romam igitur venit anno MDCCXIII, annos natus XV, & III Kal. Decembris in Societatem admissus *in Quirinali S. Andreæ domo* (9) tirocinium posuit. Quo confecto, antequam ad graviora Philosophiæ studia progrederetur, eadem in domo Rhethoricæ iterum operam dedit: provido sane, ac salutari consilio. Nam præterquam quod ibi studebatur acerrime,

& in summa optimorum ingeniorum contentione vigebat æmulatio, quo maturior est ætas, eo solet esse, ut in omnibus artibus, fructus uberior. Commode autem tunc, ac peropportune factum est, ut præceptori ad id munus destinato ægrotanti, dum convaleseret, P. *Andreas Budriolius* (10) sufficeretur, vir, quamquam diverso in doctrinæ genere præstantissimus, is tamen, qui de studiis humanitatis, & verissime sentiret, & rectissime judicaret. Hic totum scholæ habendæ præfinitum tempus, quamdiu vices alienas implevit, in eo consumpsit, ut de uno Cicerone ac de uno Virgilio opinionem, existimationemque in auditorum suorum animis, quantam maximam posset, commoveret. Itaque collectis, quæ de utroque leguntur, luculentissimis doctissimorum virorum, tum veterum, tum recentium testimoniis, in id præcipue incubuit, ut auditores suos ad assiduam eorum lectionem vehementer accenderet. Hoc quo certius obtineret, penitusque animis infigeret, accommodatissimum illud attulit ex Virgilio de Charonte inferorum portitore, qui infinita circumfusus multitudine paludem stygiam transnueare cupientium

Nunc hunc, nunc accipit illum;
At reliquos longe submotos arcet arena.

Vos quoque (ajebat) *innumerabilis librorum turba circumsistet; sed optimo Stygii portitoris usi consilio importunam turbam procul arcete, a vobisque propellite. Tendent quodammodo manus, orabunt, obsecrabunt, obtestabuntur, & legi se a vobis enixius efflagitabunt. Vos vero ne præbete aures, nolite flecti precibus, nolite moveri ostentationibus. Adveniet tempus idoneum, quo multa legantur, a quibus supersederi in præsens optimum duco, vobisque futurum salutare confirmo. Nunc hunc, nunc illum accipite, Ciceronem nimirum, & Virgilium in manus sumite, hos legite, in hos totam mentis aciem intendite, his unis præcipuam operam navate, reliquos, si me auditis, prætermittite.* Sic ille. Hæc ego ab ipso Lagomarsino accepta mirifice probavi, & cum vere, ac percommode dicta judicarem, his ipsis in docendo usus sum, in eamque, quam habui *De ratione docendi, & discendi*, & vulgavi, Orationem transtuli, quo latius tam salutaris præceptio pateret, & communi documento diffunderetur. Est enim non tam plena consilii, quam referta utilitatis, & nostris in litteris aliquid proficere volentibus omnino necessaria.

VII. Hæc igitur a doctissimo viro profecta præceptio Lagomarsini animo penitus insedit, ut dici non possit, quantum ad Tullianam fuerit le-

ctionem inflammatus. Se totum Ciceronis lectioni dedidit, ut unum Ciceronem evolveret, unum in manibus quotidie haberet, ac de uno propemodum Cicerone cogitaret. Aureos ipsius *de Oratore libros* (11) non solum attente legit, sed manu sua totos excripsit, memoriæque mandavit: ex qua diligentia, & assiduitate assecutus est, ut jam tum latina lingua scribere assueverit elegantissime. Latinas quas tunc exaravit epistolas, ego legi, & styli elegantiam in adolescente demirari satis non potui, easque plane dignas judicavi, quæ in lucem emitterentur. Harum epistolarum bene multæ ad P. Lagomarsinum patruum suum Roma Genuam perscriptæ sunt, quem non dubito, quin de fratris filii singulari in latina lingua progressu fuerit summopere gavisus. Itaque unam epistolam ad eumdem, ut supra diximus, negligentius scriptam plurimæ diligentissime, & elegantissime scriptæ correxerunt, atque emendarunt. Usque adeo plurimi refert, quem habeas in adolescentia doctorem, qui te erudiat, & viam, qua doctrinam assequaris doctus ipse tibi commonstret.

VIII. Hic ego in reliquis ejus studiis Philosophiæ, & Theologiæ, omnibus Societatis Alumnis communibus commemorandis, diutius non immorabor. Tantum dicam in his etiam

propter ingenii præstantiam excelluisse, quibus tamen sic operam dedit, ut numquam humaniorum litterarum studia intermiserit, ad quæ sponte sua recurrebat animus, nec ab iis patiebatur avelli. Nec vero longius illa etiam persequar, quæ sociis item omnibus communia nihil habent singulare, quod Lectores ad agnoscendum alliciat, nec historicum ad scribendum impellat. Quare hæc strictim tantum, ac cursim indicabo, notatis, conservatisque temporibus, ne quid, quod ad non intercisam vitæ totius seriem pertineat, scriptoris sive incuria, sive ignorantia sit prætermissum.

IX. Primum igitur Philosophiæ studuit, cujus confecto, ut ajunt, curriculo Arretium ad docendam Grammaticam missus est anno MDCCXXI. Ea in urbe annos quatuor commoratus egregie munere suo functus singulare admodum ejus, quam jam tum in latina lingua adeptus fuerat, cognitionis specimen edidit, de quo suo loco dicemus. Romam anno MDCCXXV reversus Theologiæ addiscendæ, quatuor de more annos impendit. Doctorem habuit P. Bernardum Vargam Hispanum, magni nominis, ut ea ferebant tempora, Theologum, qui subtilis ipse, & acutus subtili, & acuto discipuli ingenio incredibiliter captus, quantum eniti suadendo potuit, illum ab humanioribus studiis abducere, & ad

suam adducere facultatem aggressus est. Accedebat ratio, qua fiebat, ut eum præ ceteris discipulis maxime diligeret, & hispana matre natum, ad hispanicas subtilitates, quæ magno tunc in pretio habebantur, conaretur attrahere. Sed nihil profecit. Altius enim earum, quibus se jam totum ab adolescentia tradiderat, litterarum amor ejus in animo radices egerat, quam ut facile posset avelli. Quamquam, si illi se facultati dedisset, in ea propter summam ingenii solertiam, & acumen admodum præstitisset.

X. Hoc etiam studium emensus, & tertio, qui appellatur probationis anno Florentiæ absoluto, Rhetoricam docturus Arretium iterum missus est anno MDCCXXX. Hic in urbe quieta, & ab omni strepitu remota stabile sibi figere domicilium in animo habuit, & in eo ipse, quod ei delatum fuerat, munere vitam omnem transigere cogitavit. Et vero fixisset, si nonnulla, quæ ad operosissimi muneris levamentum postulabat, ei fuissent moderatorum facultate concessa. Sed moderatoribus nihil immutandum visum est, nihil esse novi constituendum. Arretii cum esset, solemnem quatuor votorum professionem edidit postridie Kal. Februarias MDCCXXXII. Ab ea urbe post annos tres discessit, & Rhetoricæ tradendæ destinatus in Pratense Collegium, in quo fuerat adolescens

institutus, concessit, valde profecto illi Collegio futurus salutaris, si in eo diutius perstitisset. In lectissima enim tot ingenuorum frequentia, vi tanta, quanta in eo vigebat, animorum ad præclara studia contentione, ea certe nactus fuisset ingenia, quæ tanto doctore profecissent. Contra atque Florentiæ accidit, ubi frigentibus Jesuitarum scholis, vix paucos habuit, quos erudiret.

XI. A Pratensi Collegio Florentiam Rhetor destinatus, eo se contulit anno MDCCXXXIII. Hac in urbe plures annos Rhetoricam docuit, & collegas habuit egregios tum Oratores, tum Poetas, Pompejum Venturium, Alphonsum Nicolaum, Carolum Sanctinum, qui, manente in suo munere Lagomarsino, sibi invicem successerunt. Horum ego laudes non persequar, propterea quia editis operibus satis noti sunt, superque laudati, certe digni extiterunt, qui tanti viri collegæ essent, & quos tantus vir collegas haberet. Hoc tempore, cum totus esset in evolvendo Cicerone, de suscipienda omnium Ciceronis operum editione consilium cœpit, & aliquot annorum ab omnibus oneribus vacationem, tantæ editionis adornandæ causa petiit, & obtinuit. Ego, qui cum Florentiæ tunc humaniores, quas vocant litteras docerem, ipsius in locum ejus suffragio, qui me existimavit ido-

neum, qui sibi succederem, suffectus sum, quo in munere annos quinque transegi; quibus exactis Romam evocatus successi Contuccio Contucci, Rhetori præstantissimo.

XII. A meo Romam adventu, haud ita multo post ipse quoque Romam arcessitus est anno MDCCLI. Ut autem arcesseretur, ego quoque, quoad potui, apud Collegii Romani Rectorem *Dominicum Franchinum* (12), bonarum artium fautorem, contendi, non tam, ut hominem mihi amicissimum, carissimumque contubernalem haberem, quam ut tantum ingenii lumen in Urbe omnium principe, & in Collegio totius Societatis amplissimo, & maximum ad commune decus, splendoremque eluceret. Quamquam alia me etiam ratio impulit, & mihi quidem gravissima, atque a domestica utilitate petita, nimirum, ut juniores nostri, qui in eodem Collegio institutionis causa magno numero, & præclaro ingenio diversabantur, ejus doctrina atque eruditione proficerent. Ne vero omnino immunis esset, quod apud nos parum honestum ducebatur, & propemodum habebatur illiberale, linguæ Græcæ, tum externis, tum domesticis auditoribus habendæ præfectus est. Hoc modo Lagomarsinus, cum dignitate in Collegio Romano constitutus, quoquam se amplius non movit, eodemque in munere ad obitum usque perstitit, si unum, alterumve annum excipias,

quo in Collegio Scotorum magno illorum adolescentium bono traduxit, quos miro quodam, & latinæ, & linguæ græcæ studio incendit, quod studium, ipso etiam absente, nequaquam deferbuit, sed potius in dies magis incaluit.

XIII. His, quæ prætermitti omnino sine negligentis, vel oscitantis historici nota non poterant, indicatis, jam de studiis potissimum tanti viri, quæ summam ei, dum vixit, existimationem pepererunt, atque extincto nominis immortalitatem conciliarunt, paulo fusius, ac liberius scribendum est. Et vero Lagomarsinus, si ejus singularem latinæ, & græcæ linguæ, & italicæ notitiam, si in arte oratoria præstantiam, si multiplicem rerum plurimarum, & maximarum cognitionem, si certum de quaque re, quam examinandam susciperet, subactumque judicium, si animadversionum suarum vim, copiam, varietatem, si plurima ingenii, & eruditionis relicta monumenta, si alia hujus generis, quibus abundabat, & commendabatur, decora conjunctim reputentur; vir hic certe is fuit, quem cum paucis conferas, multis anteponas, & quorum similes vix singulos, singulæ tulerunt ætates. His accessit incredibilis labor, summa in incœptis constantia, invictum animi robur, optima, ac firma corporis habitudo, mira quædam ad quævis ardua suscipienda alacritas, diligentia denique prorsus exquisita, qua

una virtute reliquæ virtutes, auctore Tullio, continentur, nihil ut ei propemodum a natura fuisse denegatum videatur (de Orat. lib. 2, num. 35). Hæc adjumenta ad sua studia attulit Lagomarsinus, quibus si vel præstantia ingenia careant, nihil est magnum, quod ab iis expectes, nihil singulare, quod suscipere valeant, nihil quod præstitutum ad exitum optato possint, feliciterque perducere.

XIV. Et primo quidem singulari linguarum græcæ, & latinæ, & vero etiam Italicæ scientia præstitit. Ac de Latina quidem primum specimen edidit Arretii cum esset, & humaniores litteras doceret, quod quidem est hujusmodi, ut si quis illud legat (editum fuit Tarvisii anno MDCCXXIII sub *nomine Golmarii* (13) *Pepugies Marsiliani*) admiretur summam, tamque reconditam, atque exquisitam latinæ linguæ in doctore admodum juvene cognitionem. Apparet enim scriptores omnes ætatis aureæ, non percurrisse solum, sed attente legisse, & singula, quæ præcipua animadversione digna sunt, diligentissime adnotasse. Atque hic primus ei ad publicam commendationem in Grammatica facultate gradus factus est, quam progressio tanta consecuta fuit, ut latinæ linguæ omnium ætatis suæ habitus fuerit peritissimus. Quare cum aliqua exorta esset grammaticis de rebus controversia aliis aliud, uti fit, sentientibus, & opi-

nantibus, ad ipsum tamquam ad Oraculum adibatur, qui re diligenter examinata, quid sentiret, immo vero quid sentiendum esset, pronunciabat, quo pronunciato prorsus controversia tollebatur. Multa hujus generis scripto mandavit, & in ejus adversariis extare debent, discussa ab ipso diligenter ac plane definita, sic nulla ut amplius dubitatio esse posset, & quæstio omnis dirempta. Neque vero id mirandum in homine doctissimo, qui, quam habuit his in rebus scientiam, non a rivis, quos plerique consectantur, sed ab ipsis, unde emanat, fontibus hauserat, atque acceperat.

XV. De Latinis hujusmodi controversiis consultus sæpissime fuit, non a domesticis solum, sed ab externis etiam doctissimis viris, & latinæ linguæ peritissimis. Inter hos merito numerandus est, & quidem inter primos recensendus *Jacobus Facciolatus* (14) a Lagomarsino in emendando, locupletandoque latino *Lexico* illo suo non mediocriter adjutus. Hoc Facciolatus ipse aperte professus est in Epistola ad eum nuncupatoria (*Desunt nonnulla*) ..... in Gymnasio Patavino anno MDCCXXXVII, & eodem anno Patavii editæ, in qua: *Hoc quidquid*

(*) Scripti hujus quo Carrara est usus lagunam implevi sic posse opinor: *in Epistola nuncupatoria Prolusionis a Facciolato habitæ in Patavino Gymnasio Anno MDCCXXXVII, & eodem anno Patavii editæ &c.* (Georgius)

quid est, (inquit) *tua causa edo, tibique dicatum volo, veteri amico, de me, studiisque meis optime merito*. Idem in animadversiones criticas in magnum Petri Danetii *Dictionarium*, editas Patavii anno MDCCLIX diserte ei in latinæ linguæ cognitione principatum defert. *Si quis est* (inquit) *unus hoc tempore, qui de lingua latina judicare potest, is est profecto Lagomarsinus*. Et revera is unus erat, qui si hoc in studio elaborare separatim voluisset, multo certe locupletius latinum *Lexicum*, atque emendatius haberemus. Et vero ei quo utebatur, multa manu sua margini adscripsit, multa suffecit, nonnulla præcidit, atque emendavit, non pauca correxit. Vocabulorum significationes aliquas hactenus ignoratas, & ab se repertas addidit, vocabula quædam, tamquam nummos, vetere detecta nota, ex argenteis fecit aurea. Qua in re si mihi morem gerere voluisset, in eaque annum tantum unum, aut paulo plus impendere non recusasset, ut Facciolatus Calepino, sic Lagomarsinus Facciolato nomen suum suffecisset.

XVI. Ad græcam vero linguam quod spectat, ei quoque impense studuit; quo factum est, nihil ut illi ad perfectam latinæ linguæ, quæ summam habet cum græca affinitatem, scientiam, cognitionemque deesset. Hac de co-

gnitione præclarum ei dedit testimonium *Angelus Maria Riccius* (15) in suis, quas appellat *Homericis dissertationibus* editis Florentiæ anno MDCCXLI his verbis: *Fuit, qui græcis rudimentis cumulavit, ut nuper Hieronymus Lagomarsinus*. Multo autem præclarius Julius Pontedera, vir clarissimus, in opere inscripto: *Antiquitatum latinarum, græcarumque enarrationes, atque emendationes*, edito Patavii anno MDCCXL, quo in opere Hieronymum Lagomarsinum græcis, & latinis litteris non *leviter aspersum*, ut plerique, qui scire se græce & latine gloriantur, cum utramque linguam ignorent, sed *plane imbutum* affirmat. Quibus testimoniis addo tertium, quod tametsi a domestico profectum sit, sua tamen carere auctoritate non debet. Antonius Maria Lupius, vir græcis, latinisque litteris apprime doctus, cui certe parem in antiquitate indaganda ætas nostra non tulit, in suo celebri Epitaphio S. Severæ Martyris ab se plane novis ac reconditis adnotationibus illustrato, & edito Panormi anno MDCCXXXIV, Lagomarsinum *latinarum, græcarumque litterarum scientissimum* appellat.

XVII. *Nec vero Italicam linguam* (16) neglexit, sed plurimum etiam in eo studii impendendum judicavit. Vernaculam linguam tenere non tam decorum, quam ignorare turpe duxit.

Affirmans id perinde esse, ac in sua civitate semper hospitem esse, & peregrinum. Quam in sententiam recte, & scienter more suo Tullius in *Bruto*: *Nam ipsum latine loqui est illud quidem in magna laude ponendum, sed non tam sua sponte, quam quod a plerisque neglectum; non enim tam præclarum est scire latine, quam turpe nescire, neque tam id mihi oratoris boni, quam Civis Romani proprium videtur*. Italicam igitur linguam diligenter excoluit. Hoc docent plurimæ Epistolæ italica lingua ab eo scriptæ elegantissime, & in primis Vita S. Firmini Abbatis ex familia Benedictina edita Tarvisii anno MDCCXXVI. Ad certiorem vero, uberioremque ejusdem linguæ notitiam comparandam, nihil omittendum diligentiæ, & disquisitioris indaginis existimavit. Probatiores Etruscos scriptores attente legit, veteres præsertim, in quibus nativa quædam elucet simplicitas, & incorrupta cernitur integritas. Fontes ipsos, unde purus hujus linguæ emanat sermo, sibi adeundos putavit, Esto codices tamquam fidos pristinæ integritatis custodes. In primis Bocacii Decameronis exemplum, cum exemplari vetustissimo, ac propemodum authographo, quod inter præcipuos Bibliothecæ Laurentianæ Codices numeratur, contulit, variantes lectiones ex-

scripsit, margini apposuit, ne apicibus quidem minimis more suo prætermissis.

XVIII. Hactenus de linguarum cognitione, ac peritia, quam strictim, & summatim attigimus, ut ad graviora progrediamur. Certe in his, quas numeravimus linguis doctissimorum virorum judicio excellens fuit, & sua quidem ætate omnium facile princeps. Hic vero nolim quemquam existimare, eum tantum excellentem fuisse Grammaticum, nec, quod longe præstabilius est, oratoria etiam facultate commendatissimum. Illud ei ab imperitis non raro objectum fuit, qui cum ejus acrem in re grammatica censuram ferre non possent, hoc veluti convicio affectum ab se repellebant, ei probro vertentes, quod summa in laude ponendum erat. Nam si Grammaticus tantum, ut re ipsa summus fuit, extitisset, singulari tamen laude dignandus esset. Quo loco allucinantur plerique ignoratione vocabuli, dum non satis Grammaticum a Ludimagistro plerumque imperito distinguunt, atque discriminant. Audiatur a Cicerone, auctore his de rebus omnium gravissimo, quæ sint Grammatici munera, & quid oneris Grammaticus suscipiat, ediscatur. Lib. I de Orat. num. 3, assignata generatim *Grammatico pene infinita vi, & materia*, hanc eodem libro distincte, & sin-

gulatim exponit. *In Grammaticis* (inquit) *poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus, in hac ipsa denique ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere*, & reliqua, quibus Grammaticum esse vult probe instructum, atque peritum. Jam vero muneribus, modo indicatis, & Grammatico a Cicerone attributis posse satisfacere nemo profecto est, quin videat, magnum hoc esse quiddam, & multo majus, quam ut vulgo opinantur ii, qui Grammaticum intra unius infimæ scholæ angustias, tamquam in pistrinum aliquod detrudunt, atque compingunt. Quare Grammatici ii jure appellantur, qui doctrina, & plurimarum rerum cognitione præcellunt, quales Varro, Nigidius, Verrius, Flaccus, Aulus Gellius, & post renatas litteras, Politiani, Manutii, Victorii, Mureti extiterunt, aliique hujus notæ præstantissimi ac doctissimi viri.

XIX. *Fuerit igitur, non repugno, Grammaticus Lagomarsinus*, (17) sed *is* qui tantam personam, quanta a Cicerone Grammaticis imponitur, sustinere poterat, & reipsa cum dignitate sustinuit. Neque enim intima linguarum intelligentia haberi, neque vocabulorum investigari vis, neque potestas teneri, neque Oratores, & Poetæ pertractari, nec denique quidquam ex-

cogitari, ornari, disponi summo sine ingenio, ac doctrina potest. Hæc autem in enumeratione postrema, tametsi propria Oratorum sunt, tamen Cicero cum Grammaticis vult esse, facitque communia. Scribere autem accurate, & eleganter, quod a Grammatici munere sejungi nequit, cujus tandem esse ingenii, quam acuti, quam solertis existimabimus? Elegans enim scriptio non tam e subtili delectu verborum, & apta eorumdem coagmentatione emergit, quam ex multiplici rerum cognitione efflorescit. *Cum enim omnis*, inquit Tullius, (de Orat. lib. 3 sub initium) *ex re atque verbis constet Oratio, neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba submoveris.* Quæ duo cum ita conjuncta sint inter se, ut ullo modo nequeant separari, inde efficitur, qui eleganter scribat, eundem docte etiam, & scienter scribere.

XX. Verum Lagomarsinus non præstans solum Grammaticus, sed excellens etiam Orator fuit. Quam excellentiam in oratoria facultate, cum nonnulli Lagomarsino immerito ademerint, ea omnino mihi nunc est ab obtrectatorum injuria vindicanda. Ut plerique, quod supra animadverti, artis grammaticæ ignoratione fallantur, ita plurimi artis oratoriæ inscitia hallucinantur. Difficile est de quaque re, sive arte

judicare, cujus intimam cognitionem non habeas. Intima autem cognitio, nisi longæ artis ipsius usu, atque assidua pertractatione non comparatur. Ii igitur, de quibus dico, in eo errant, quod putant unum tantum, non autem multiplex esse orationis genus. Atque hoc quidem non judicio, atque intelligentia, sed sensibus, atque auribus metiuntur, & quidquid insignibus, extantibus, eminentibus figuris oculos ferit, & superlatis, ac sonantibus verbis aures percellit, hoc mirifice probant, hoc suspiciunt, hoc unum oratorium arbitrantur. Male ii quidem atque perverse, ut omnino, aut partim docendi sint. Discant igitur, qui non recte de eloquentia sentiunt, & eam solum clamantem, ac vociferantem admirantur; discant, inquam, non unum esse Orationis genus, sed varium, & diversum, & Oratores esse posse dissimiles inter se, qui tamen simili laude dignentur. Oratio naturam imitatur, quæ varia est, & varietate gaudet. Recte Tullius de Oratore in hanc sententiam: *Nam, & auribus* (inquit) *multa percipimus, quæ etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia sæpe, ut id, quod proximum audias, jucundissimum esse videatur, & oculis colliguntur pæne innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent, & reliquos sensus voluptates oblectent*

dispares, ut sit difficile judicium excellentis maximæ suavitatis, quæ peritissimus dicendi artifex Oratoriæ congruenter accommodat, ut sicut natura, ita Oratoria facultas varietate maximopere delectetur.

XXI. Verum audiamus ipsum diversa orationis genera enumerantem, aliudque ab alio distinguentem. *Primum*, inquit, est, grande, profluens, ac magnificum, alterum tenue, pressum, & subtile, tertium ex utroque temperatum, medium inter utrumque, quod ex utroque proprium sibi quasi effingit caracterem, laudemque decerpit. En ejus verba ex ejus Oratore decerpta. *Tria sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt. Nam & grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt, cum ampla, & sententiarum varietate, & majestate verborum vehementes, varii, copiosi, graves ad permovendos, & convertendos animos instructi, ac parati; contra alii tenues, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam & pressa oratione limati; est autem quidam interjectum orationis genus, medium, & quasi temperatum, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum. Horum singulorum generum, quicumque vim in singulis consecuti sunt, magnum in Oratoribus nomen habuerunt.*

XXII. Jam si quid his de rebus judicare pos-

sum, illo medio dicendi genere Lagomarsinus præstitit, ad illudque, quas scripsit Orationes attemperavit. Ac primum, si latinitatem spectes, nihil purius, nihil limatius, liquidius nihil esse potest, ut pene solus hac quidem ætate latine locutus videatur. In reliquis scriptoribus, si veteres excipias, fere occurrit, quod sive negligentia, sive ignorantia, sive imprudentia peccatum jure reprehendas. Nihil hujusmodi in Lagomarsino. Omnia castigata, omnia ad artis regulas exacta, limata, & polita, ut ne minimo quidem verbo offendat: omnia denique prorsus ad Ciceronianum præscriptum, quo jubemur ita loqui (de Orat. lib. 3, num. 10.) *ut verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat, & ea sic, & casibus, & temporibus, & genere, & numero conservemus*, ut ne quid *perturbatum, & discrepans, aut præposterum sit*. Elegantia vero tanta, quanta in ejus Orationibus elucet, quas modicus quidem ornatus, sed rei, qua de agitur conveniens satis illustrat, atque distinguit. Verborum autem delectus, exquisitus, apta comprehensio, coagmentatio prorsus latina.

XXIII. Nam quid de reliquis præcipuis Oratoris virtutibus dicam? Rem, quam tractandam suscipit, apte definit, atque circumscribit, ut in illa Oratione, qua nimiam quorumdam scien-

di cupiditatem coercet, *Multam*, inquit, *dandam esse litteris, at non multis operam*, quo nihil potuit affirmari verius, nihil efferri contractius. Materiam rite disponit, ut aliud ex alio apta consecutione descendat, dispositam congruenter ornet, & satis splendide illustret. Non ille quidem verbis admodum sonantibus, & superlatis, non figuris valde insignibus, & prominentibus utitur; sed hæ, auctore Tullio, prorsus necessariæ non sunt, ut inter Oratores locum habeas, & non indecore consistas. Argumentatio vero, quæ tota serpere oratione debet, sic dominatur, ut ubique emineat argumentis rite conclusis, & quo de agitur suadentibus, atque adeo persuadentibus, ut non Oratorem modo, sed Dialecticum possis agnoscere.

XXIV. His oratoriis virtutibus accessit quidam lepos facetiæque, in quibus insigniter præstitit, & eum natura plurimum adjuvabat. Has porro, usque adeo non respuit eloquentia, ut eas Cicero intra Oratorii artificii fines concludat, quibus loco ac tempori accommodatis utatur orator, orationem perspergat suam, orationis ipsius austeritatem mitiget, atque emolliat severitatem. Exemplo sit enarratio illa sane lepida, ac festiva ex ejus habitis ad Florentinos *pro scholis publicis* Orationibus deprompta, quam narrationem bella, atque arguta ironia conclu-

dit, ut *Florentinis* doctorum sibi invicem in scholis publicis perpetuo succedentium valde incommodam vicissitudinem objicientibus gratuletur, domesticos doctores, *contingere sempiternos*, doctores nimirum, qui levissima de causa cito diffluant, & certe majoris ostensa, vel tenuissima lucelli spe continuo dilabantur. Aliud sit exemplum excerptum ab Oratione, quam habuit Pro Grammaticis Italiæ scholis, in qua post recitatos cujusdam grammatici, vulgo tum recepti, & novitate probati *obscurissimos quosdam*, *& confragosos versus* (18) repente, ac plane tempestive exclamat: *Quo... Quo Lucumone?* & reliqua, quos quidem versus horridos, atque inconditos cum simulata quadam gravitate, & vocis immutatione pronunciantem, ut concio audivit, totius concionis consecutus est risus.

XXV. Verum Oratoria hæc ornamenta, cum admodum extantia non essent, facile hebetem vulgi aciem fugiebant, fiebatque, ut multo aliter, ac merebatur, de ejus Orationibus, & sentiret, & loqueretur, usque eo, ut ego illi in Rhetoris munere suffectus non æquarer modo, sed etiam anteponerer. Juvenilis quædam mea in eloquendo, ornandoque exuberantia mirum in modum probabatur, & summis in cœlum laudibus efferebatur. Quæ, ut in juvenili ætate utcumque ferenda esset, coercenda in provectio-

re fuit, & castiganda, nē quod erat juveni ignoscendum, probro verteretur seni. Ego vero, qui me nemini unquam præposui, & cuiquam anteponi semper ægre tuli, æquo animo ferre non poteram tantam tanto viro injuriam irrogari, & juvenem insolentius exultantem anteponi homini gravissimo, & doctissimo. Quamquam hi, de quibus dico, non id quidem malo animo faciebant, sed, ut dixi, artis ignoratione. Lagomarsiniani styli elegantiam, & subtilitatem non assecuti, errabant in eo, quod illum non sui, sed mei similem in dicendo voluissent; ego contra multo rectius non mei, sed ejus esse similem maluissem.

XXVI. Hunc ut errorem vel eriperet, vel coargueret, modum excogitavit omnino lepidum atque festivum. Orationi ab se scriptæ, & in studiorum instauratione recitandæ Mureti Orationem supposuit, quam privato in conventu de more pronunciavit, eo consilio, ut si fuisset minus probata, id saltem re patefacta obtineret, ut tanto se auctore tueretur. Quod certe eventurum apud se conjectarat, evenit. Repudiata Oratio fuit, & reprehensa tamquam inops, exilis, jejuna, sine succo, sine nervis, sine ornatu, sine lepore; ut autem compertum est, Orationem a Mureto fuisse scriptam, fuit sane cur censores verecundarentur, qui per-

peram adeo, ac perverse de elegantissimo scri, ptore judicarant. Præposterum hoc censorum suorum judicium Lagomarsini quidem causam sublevavit, non pervicit tamen, ut sententiam illi mutarent suam, de eoque, ut par erat, rectius sentirent. Solum effectum seu potius ablatum, ut in posterum cautiores in vituperando essent, & quas laudare Orationes renuebant, saltem ne aperte, ac liberius reprehenderent. De me autem, ut ingenue dicam, qui his rebus interfui, cum Florentiæ grammaticam docerem, ego propius ad veritatem accessi. Sic enim apud me statui, Orationem illam mihi exaratam videri Mureti stylo, tenui illo quidem, sed polito in primis & eleganti. Muretum porro, uni fere Ciceronianæ lectioni deditus, vix attigeram, stylum tamen notaram, Orationem autem illam omnino non legeram.

XXVII. Cæterum Lagomarsinus tenebat artem, & quid suffecta materies posceret, probe norat, & tractandi styli peritus artifex hunc argumento attemperavit, *ne furere sine causa, & tragœdias parvis in rebus*, ut recte monet Tullius, *agere videretur*. Humilia fere optavit argumenta, in quibus assurgere Oratio nec poterat, nec debebat. Quæ optavit, stilo congruente tractavit, mediocri illo quidem & tenui, sed limato in primis, & eleganti. Quare

si unum ex tribus illis, quæ supra cum Cicerone distinximus, dicendi genus amplexus, in eo se exercuit, si excelluit, non est cur laboret, quid de se imperiti sentiant; quandoquidem in unoquoque illorum excellere summa laus est. Lysias & Isocrates totius antiquitatis judicio dissertissimi Oratores habiti sunt, quamquam in secundis subselliis restiterint, nec ad illa grandia, & superlata, quia judiciorum propria tantummodo sunt, & fori, unquam aspirarint. Ad Isocrateum quoddam dicendi genus natura cum maxime ferretur Lagomarsinus, illud præ cæteris adamavit, in quo usus est laudanda prudentia. Alius aliud nactus est ingenium, alius aliam sortitus est habitudinem, neque enim omnia possumus omnes. Videndum igitur, ac pervidendum, quo quemque natura ferat, ea duce carpendum iter, nec ab ea temere discedendum.

XXVIII. Ego vero reliquis ejus Orationibus illas antefero, quas Florentiæ habuit pro Scholis publicis, de quibus dicam, cum Lectorem, quare hoc argumentum tractandum susceperit, docuero. Invaluerat Florentiæ liberalibus studiis infesta, ac pestifera admodum opinio, qua fiebat, ut repudiata publica institutione, privata tantum, & domestica probaretur. Hæc opinio, cum omnium fere civium animos occupasset,

publicæ scholæ derèlictæ propemodum erant, ac desertæ, Jesuitarum autem prorsus jacebant. Quæ causa fuit, cur Lagomarsinus, tantus doctor cum esset, non eo certe, (nam quid hoc dissimulem)? quo meritus fuerat loco habitus est, ut supervacanea ejus opera videri potuerit, nisi quod communem Societatis dignitatem tuebatur. Relictus enim a corona, nulla discipulorum frequentia, ac celebritate floruit, & paucos admodum, ut supra dixi, quos institueret, auditores habuit. Non idcirco tamen muneri suo minus satisfecit, ut ei tribuendum non sit, si ex ejus ludo, ut quondam ex Isocratis officina ii discipuli non prodierint, quos prodire necesse erat, adhibita tanti doctoris institutione, & disciplina. Eodem in urbe fato usi sunt Pompejus Venturius, Alphonsus Nicolaus, Carolus Sanctinus, quos supra nominavi, eximii doctores, & Rhetores præstantissimi, nihil ut de me dicam, cui, cum nullis fuerim cum illis partibus comparandus, illa fortasse solitudo debebatur.

XXIX. Cum igitur hæc, quam dixi, opinio invaluisset, tantam causam a se suscipiendam existimavit. Et merito quidem. Agebatur enim (mitto scholarum publicarum dignitatem) non tam privatum, quam commune in re gravissima incommodum, ac detrimentum. Nam quæ tandem tam florentes Athenæ, aut unquam ex-

titerunt, aut usquam gentium existere potuerunt tanta sapientum virorum copia redundantes, quæ tot doctores efferre potuerint, ut singuli prope singulis adolescentibus paulo honestiore loco natis sufficerentur? Atqui Florentiæ Urbe frequentissima, quadringenti, & eo amplius doctores requirebantur, ut totidem fieri discipulorum institutioni posset satis. Quare illud consequi necesse fuit, plerosque in eorum disciplinam tradi debuisse, qui nihil saperent ipsi, & quibus institutoribus desipere discipuli, atque ineptire condiscerent, præsertim vero cum horum arrogantia eo usque processerit, ut qui puerum a crepundiis erudiendum acceperat, eumdem insigni plane, & prorsus incredibili confidentia, & Rhetoricis, & Philosophicis, & Geometricis præceptionibus formandum reciperet, quo nihil bonis artibus exitialius, atque adeo toti reipublicæ, poterat esse perniciosius.

XXX. Vidit hoc Aulus Licinius ille Crassus in suum *de Oratore* inductus a Cicerone dialogum, vidit, & præcavit. Cum enim in Urbe summo Romanæ juventutis damno istiusmodi doctorum turba incredibiliter excrevisset, omnium pene civium domos occupasset, ne malum latius serperet, omnimodis providendum duxit. Itaque, Censor cum esset, lege lata horum impudentiam coercuit, publico bono con-

suluit, & importunam turbam prorsus sustulit, atque exterminavit. Videbat enim vir sapientissimus, & probe norat, quantum oneris sibi doctor imponeret, nec cuiquam esse illud ferre, nec tantam personam pro dignitate sustinere. Sed præstat audire gravissimi consularis, & disertissimi Oratoris verba: *Rerum*, inquit (de Orat. lib. 3, n. 24.) *est sylva magna*, quam cum Græci jam non tenerent, ob eamque causam Juventus nostra dedisceret pene discendo, etiam Latini, si Diis placet, hoc biennio magistri dicendi extiterunt, quos ego Censor edicto meo sustuleram, non quo acui adolescentium ingenia nollem, sed contra ingenia obtundi nollem, corroborari imprudentiam. Nam apud Græcos qui cujusmodi essent videbam tamen esse, præter exercitationem linguæ, doctrinam aliquam, & humanitate dignam scientiam. Hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent, quod etiam cum bonis rebus conjunctum per se ipsum est magnopere fugiendum Hoc unum cum traderetur, & cum impudentiæ ludus esset, putavi esse Censoris, ne longius id serperet, providere.

XXXI. Neque vero aliter evenire poterat, ut in tanta doctorum multitudine in dies impudentiam invalesceret, cum auferri ignorantia omnino debebat, cum idoneorum summa paucitas sit,

semperque fuerit. Non enim eadem agri atque ingenii colendi ratio est. Ille quo plures, cuicuimodi sint, cultores habet, plus effert; hoc, nisi ab idoneis excolatur, prorsus arescit. Facilius est autem bonos agrorum fossores, quam ingeniorum cultores invenire. Illi in foris otiosi semper ad nutum præsto sunt, isti fere de longinquo arcessendi. De illis non admodum laborandum, nisi de habitu torosi corporis, & lacertorum; de illis videndum, quid valeant animi viribus, quid profiteantur, quid recipiant. Quomodocumque illi ligonem tractent, modo ne cessent, modo fodiant, & terræ altius infigant, nihil est amplius requirendum. De istis nulla satis exquisita cautio, nulla satis accurata diligentia, nulla disquisitio supervacanea. Ex centum vix decem reperias idoneos, quos tanto muneri præficias, reliquos si sapis, ad fossores, & messores amandes.

XXXII. Et sane ab relicta publica, & vero etiam absit verbo invidia, Jesuitarum disciplina, litteratorum hominum Florentiæ sensim defecit, & valde imminutus est numerus. Desiderantur nunc Salvinii, Fagiolii, Riccii, aliique bene multi, qui his postremis temporibus litteras insigniter honestarunt: atqui a Jesuitarum ludo omnes prodierunt. Hoc vero, ne quis a me affirmari temere putet, hujusce rei habeo testem

omnium gravissimum, & certissimum. Joannes Lamius Jesuitarum auditor extitit, & certe fautor non fuit. Is cum forte obvium habuisset in via N. N. quem possem appellare si velim, quem natum secum habebat adolescentem, in disciplinam tradidit Jesuitarum. *Recte*, inquit Lamius, addiditque: *se, qui aliquid sciret, cæterosque, qui aliqua doctrina commendarentur fuisse a Jesuitis institutos*. Sed hæc hactenus, non malo quidem animo, sed quod nihil malim quam nobilissimam urbem omnium bonarum artium altricem, & quasi parentem avitam dignitatem tueri, & non tam sibi quam toti Italiæ ut quondam, splendori esse, atque ornamento.

XXXIII. Sed revertar eo, unde digressus sum. His de causis longe gravissimis publicarum Scholarum patrocinium suscipiendum duxit. Argumentum luculenter admodum tractat, ut in hoc ejus generis, de quo dixi, Lagomarsinia maxima efflorescat eloquentia. Materiam totam apte dispertit in partes tres, quas singulas singulis Orationibus assignat. Totus est in docendo, argumentandoque, & sic, ut quod docendum suscepit, plane demonstret, ac persuadeat. Rem mire variat, & Oratoriis luminibus illustrat atque distinguit. Hujus porro oratoriæ facultatis qua præstitit, ut specimen aliquod lectori-

bus exhibeam, unum locum excipiam, ex quo possit conjectura capi de reliquis. Post descriptam domesticæ, ac mutæ institutionis obscuritatem, latebras, solitudinem, eam cum publicarum Scholarum splendore, celebritate, frequentia confert, *ut utra de duabus* alteri præferenda sit, dijudicetur. Sed præstat ipsum loquentem audire. (Oratione II ex tribus, quas habuit, ac Romæ edidit anno MDCCLIII pro Publicis Scholis)

XXXIV. *Sed nos*, inquit, *jam ex hoc privati Laris, tamquam carceris, horrore ac solitudine ad publicarum Scholarum lucem, ac frequentiam conferamus. Nitent hic mihi omnia, rident, gestiunt. Nihil hic squalidum, nihil triste, nihil obsoletum. Placent mihi subselliorum illi ipsi gradus, atque ordines, ut me ingredi quoddam theatrum existimem. Placent pendentes parietibus coronæ, tubæ, vexilla. Placent tam multa illa litterariæ, tamquam bellicæ, virtutis insignia. Pœnorum Leones illi, Romanorumque illæ Aquilæ placent, tantaque magnarum rerum, ut in scena, ipsa imitatio placet. Consessus vero ille, tam frequens, tam honestus, tam splendidus tot ingenuorum, mundities, cultus, vultus illi feroculi, magnum quiddam, ac præclarum minitantes, cui tandem poterunt displicere? Quanta alacritas? quanta sedulitas? quanta æmula-*

tio? Quæ spes! qui timor! quæ cura! Ingenii enim mox est, memoriæ, doctrinæ, disciplinæ, diligentiæ, faciendum tanta in celebritate periculum. Procedit ecce publicus doctor: gymnasii limen ingreditur: Omne murmur, ac strepitus, si quis erat, illico conquiescit. Adsurgitur: fit honestissima persalutatio, considitur; nihil cessatur. Jubentur prodire ex adversis partibus aliquot, tamquam pugilum paria, & in mediam arenam, ad certamen luctamque descendere, & memoriter insigniorem aliquem veterum, sive Oratorum, sive Poetarum locum alternis vicibus recitare. Consistunt in medio gymnasio duæ utrimque adolescentulorum acies, magnorum exercituum instar, atque animos gerentes: Datur pugnæ signum: confligitur: recitatur. Qui cursus verborum, Deus immortalis! quæ linguæ celeritas! quam nulla hæsitatio! ut imminent adversarii! ut instant! ut urgent! ut moram adferre aliquam student! ut offendicula injiciunt! ut dejicere, ac deturbare stantes omni ope vique conantur! Nec si non potuerunt, tamen animos demittunt; æque se vicissim restituros, neque loco movendos, ac pervertendos confidunt; &, si non vicerint, non esse tamen vincendos sperant. Instauratur de integro certamen: atrocior pugna committitur: Hos successus ferociores, illos anceps prælii eventus ex omni parte cautiores facit. Fit clamor, impe-

tus, incursus: petitiones propemodum gladiatoriæ conjiciuntur; aliquæ declinantur, non omnes. Qui enim in tanto animorum ardore, ac pertinacia possit? Hic lapsus aliquis concidit. Clamorem victores tollunt, gestiunt, exsiliunt, gratulantur, supplicationem prope sibi decerni, ac triumphum postulant. Silent contra victi, dolent, indignantur, illacrymant. Excedunt tamquam saucii ex acie; integri recentesque succedunt, qui hostium effrænatos impetus atque insolentiam frangant, ac comprimant. Pugnatur rursus infestissimis animis: Stat aut gloriose vincere, aut honeste *cadere: hæret vir viro, pes pedi: manus manu conseritur: vi geritur res. Pulvereæ adeo nubes, pedum supplosione, & corporum agitatione, tolluntur. Quod ubi doctor animadvertit, rem plus nimio calere, & prope ad internecionem, atque exitium adduci, furentes auctoritate sua nutuque cohibet, atque ut Virgilianus ille Æolus Æneid. I, v. 57.*

Mollitque animos, & temperat iras:

Collaudatisque victoribus, præmioque ornatis, & tamquam bonus imperator suorum virtute rebusque gestis vehementer lætatus receptui cani jubet; sed ita, ut faciat tamen victis certaminis in alio quodam genere potestatem. Non pu-

gna desistitur, sed locus, atque arma mutantur. Scribendo, interpretandoque, decertant. Pugnantur eminus nihilo segnius, quam modo pugnatum est cominus. Idem animus, eadem vis, eædem rerum, fortunæque vicissitudines. Ita post multas in acerrima contentione consumptas horas, cum se propter ardorem animi tamdiu contendisse vix sentiant, in castra præclaræ cohortes dimittuntur; domum disceditur, curantur corpora. Ad aciem, ad Solem, ad pulverem haud ita multo post reditur: eaque toto anno perpetua sibi succedens exercitatio in Scholis publicis, contentioque servatur.

XXXV. Hic ego quemvis provoco, qui sibi de latini sermonis elegantia, & de eloquentiæ laude blandiatur, ut quidquam simile mihi efferat, tam graphice exponat, ita oculis subjiciat, ut res non tam describi quam geri videatur? Quam aut Zeuxis, aut Thymantis, ac, ne domesticos prætereamus, Raphaelis, aut Titiani, qui proxime ad Græcorum excellentiam accesserunt, elaboratissimam proferre tabulam possumus, quæ cum hac Oratoria quasi tabula, & varietate colorum, & habitudine personarum, & expressione artuum, membrorumque, & tota totius operis conformatione conferri queat? Et sane quid dici potuit elegantius? quid distinctius efferri? quid mirabilius describi? *In*

tenui labor; at *tenuis certe non gloria*. Rem per se humilem, atque abjectam humo tollere, illustrare, ornare, ut compta, nitens, polita, dare se in conspectum eruditæ concionis cum dignitate possit, cujus tandem facultatis esse arbitrabimur, nisi summæ, ac plane Oratoriæ? Hunc locum legere, & mirari, & laudare satis non poterat, me præsente, Hieronymus Torniellius, Soc. Jesu vir apprime disertus, & concionibus editis celeberrimus. Atque hic ego dubitem Lagomarsini Orationes, cum Sigonii, & Mureti Orationibus conferre, quæ merito elegantes & habentur, & prædicantur? Quid ni etiam anteferre? nullus certe ex illis proferri tam eloquens potest locus, qui cum hoc nostro componi possit.

XXXVI. Atque hic ego quidem, nec vero quisquam alius hujus artificii intelligens æstimator facile definiet, utrum difficilius sit in illo primo genere, grandi ac magnifico præstare, an in hoc medio, ac temperato excellere. Facilius alterum prima specie videtur, sed conanti, multo est quam credi possit multo difficilius. *Tenuitas quædam*, inquit Cicero, *facilis videtur esse existimanti, sed nihil experienti minus*. Hoc animadvertere est in narrationibus, in quibus non tam Ciceronem admiramur, quam suspicimus in amplificationibus, & conci-

tatione animorum populares quædam exuendæ, ac repudiandæ opiniones sunt, si recte de rebus ferre judicium volumus. Multa prius in quaque arte experiri quis debet, multa ante periclitari, quam quidquam, tamquam e tripode pronunciet. Quotus enim quisque est, qui quod de quaque re loquitur, loquatur expertus, & longa ejusdem pertractatione edoctus? Multa a vulgo arrepta temere fundimus, nec satis, quid in buccam veniat, advertimus. Non fuerit igitur Lagomarsinus grandis, splendidus, magnificus, non repugno; modo sit cultus, elegans, venustus, & in contracta tenuitate excellat, quæ quavis laxa, & affluenti oratione multis difficilior est, atque operosior.

XXXVII. Verum si quis adhuc existeret, qui obstinatius pergeret ab Lagomarsino requirere magnificum quoddam dicendi genus commotum, ac vehemens, in quo fere homines exclamant, atque obstupescunt; primum cedo mihi, ut ex recentioribus latinis scriptoribus, qui cultiores habentur, proferatur aliquis, qui Oratoria illa, quæ tantopere expetitur, magnificentia, & commotione excelluerit. Ego sane cum a Cicerone discedo, neminem certe reperio, qui mihi plane satisfaciat. Excipio Petrum Perpinianum, cui *primas* a Tullio defero, sed nihil tamen ad Tullium. Hujus certe ea plena

roboris, & nervorum oratio est, utpote quæ in re ludicra, atque umbratili, ut fere, versetur, sed in aciem, ac pulverem contra Hugonotas infensissimos Catholicæ religionis hostes prodeat. Hoc primum. Deinde, quod uni Tullio concessum est, quo jure pergunt ab unoquoque, qui artem oratoriam profiteatur tanquam ex aliqua Syngrapha reposcere. Nam quis hanc confecit? quis subscripsit ut tu ex ea meum agas? litem intentes? Rapias in jus?

XXXVIII. Quid vero si Lagomarsinus in hoc ipso dicendi concitato genere præstitit? Quid possit amplius ab eo requiri, ego certe non video. Atqui ita est, uti dico. Cum res, & tempus postularunt, vim exprompsit, acer, & vehemens fuit. Exagitandus in suis ad Pogiani Epistolas adnotationibus Jacobus Augustus Thuanus erat, non contemnendus ille quidem historicus, sed parum verax, interdum mendax, & Catholicæ Religioni, si non infensus, certe non amicus. Alio tunc se more gessit, alio dicendi genere usus est. Stylum vertit, & acuit. Instituit in eum actionem acrem sane, ac vehementem. Ac primo dum ignoscat animus, & Oratio subjectis veluti quibusdam facibus inflammetur, multa dialectico more acute disputat, distinguit, definit, concludit. Non pauca contra Grammaticas Regulas scripta no-

tat, ac reprehendit, quo historicum de latinæ linguæ peritia, sibi nimis arrogantem compescat, atque coerceat. Sensim hoc modo ac gradatim ad causam accedens, tum demum adversarium invadit, in eumque studium veritatis affectantem, de suis popularibus conquerentem, & ad posteritatis judicium provocantem invehitur. Sed rursus præstat ipsum audire Lagomarsinum; atque, ut eum loquentem paulo ante audivimus, nunc agentem audiamus. (Vol. 2 epist. Pogian. p. 379 edit. Rom. 1756.)

XXXIX. *Incurri, inquis, miser, atque innocens in hominum odia, quod vera quædam dixerim. Quæ ista fuerunt? Num quanta sit Solis magnitudo? quanta telluris? qui sit bonorum finis, & malorum? qui reges? quæ bella in orbem terrarum fuerint? quanta divini Numinis providentia mundus gubernetur? Non, inquis, ista, sed alia quædam. Quærimus atque instamus, quæ tandem? Quæ, inquis, delicatum sæculum audire nollet. Nam jure, an injuria nollet? Nescio, inquis, non enim id attendi. Atqui id etiam atque etiam considerare te oportuit. Nam si jure nollet audire, injurius tu fuisti, qui dixeris. Num igitur ea forte dixisti, quæ privatorum hominum, quæ familiarum, quæ nationum, quæ Regum, quæ Sacerdotum, quæ Pontificum maximorum famam, atque existimationem insigni*

cum injuria violarent? Negare non potes. Quid igitur miraris, te, nemini non injurium, in omnium odium, atque offensionem incurrisse? quid quereris, omne hominum te genus maledictis incessentem, male ab omnibus audisse, & nimiæ libertatis, immo intemperantissimæ petulantiæ nomine ubique traductum? Quid veritatem insimulas, quasi ea tibi, non tua improbitas, perversitasque, nocuerit? Quam tu inconsiderate, ac temere, quam malitiose fraudulenterque fecisti, qui causam tuam posteritati committens, atque commendans, cælare eam de tuis flagitiis quæ tibi verissime objiciebantur, volueris, nosque non sceleris ullius tui deprecatores, sed innocentiæ defensores, atque adeo laudatores adhibere conatus sis! Sic tu nos, Jacobe Auguste Thuane, despiciebas, sic tibi stolidi, sic communis sensus expertes, sic trunci quidam, ac stipites, posteri nos tui fore videbamur, ut, cum historia ad nos tua pervenisset, eamque legissemus, non quid tibi vitio ætas tua dare jure, ac merito debuisset, latinæ scilicet nescientes, & rerum omnium imperiti videremur, sed tibi reprehensionem tui omnem, criminationemque in unum veritatis amorem mirificum illum tuum conferenti, de eaque apud nos queribunda voce expostulanti, sine ulla dubitatione crederemus? Non animadversuros nos inter legendum vafrum tuum, ac veterato-

rium ingenium, non partium studium, non exulceratum animum, non iracundiam, non ulciscendi cupiditatem, non superbiam, non arrogantiam, non temeritatem, non omnia naturæ, ac voluntatis vitia ad res narrandas afferentem existimasti? Nullum nos discrimen inter vera dicendi propositum, & maledicendi libidinem facturos credidisti? Quid tibi posteros, pessimam ad nos causam deferenti, & præterea patronos tuos dolosa ac falsa rerum expositione fallere, ac circumvenire conanti, responsuros putasti, nisi commeruisse te historia tua scribenda, ut ætati tuæ, & consequentibus esses eo odio, quo fueris, historiæ autem ipsius defensione hac impudenti tua id tibi deberi, ut & nostræ, & superiorum in te odium duplicetur? Fuisti historicus in dicenda veritate admodum intemperans, atque importunus; reus in historiæ purgatione, & mendax, & impudens es. Sententiam igitur de hoc toto genere nostram paucis habeto. A veritate illa tua, quæ justum dolorem hominibus afferret, propterea quod eorum nomen famamque læderet, te plane abstinere debuisse. Et quæ sequuntur his, quæ exscripsimus, prorsus consentanea.

XL. Jam vero quid dici, aut scribi potuit fortius, acrius, vehementius, incitatius? quis propemodum ista legens Ciceronianarum Actionum vim postulat? Ut hæret in causa! ut se

loco, quem cepit, dimoveri non sinit! ut instat! ut non remittit! ut adversarium nequidquam crebros ictus lacertis oratoriis, viribusque contortos declinantem sibi elabi, non patitur! Legantur reliqua non acria minus, & concitata. Quare si se temperavit in iis, quae scripsit Orationibus, sciens, & prudens fecit, & optimo usus consilio fecit. Ex allato loco tam illustri, tam gravi conjici facile potest, quid fuisset effecturus, si huic nominatim dicendi generi se dedere voluisset, cum ei inflammatio animi non defuerit, qua loco, & tempore uteretur.

XLI. Quamquam vere, ut dicam, non se scribendis Orationibus consilio tradidit. Illas scripsit invitus, & necessitas adegit, ut scriberet, cum ei de loco superiore, quamdiu Florentiæ Rhetoricam docuit, dicendum esset. Ego, qui ejus eloquentia delectabar plurimum, sæpe hominem hortatus sum, ut hoc in scriptionis genere se exerceret, & saltem, quam susceperat pro *Scholis Publicis* defensionem absolveret. Sed aliis studiis intentus, quæ ejus animum ad se rapiebant, in quibusque versari utilius arbitrabatur, imperfectum reliquit. Ut autem invitus, quas edidit, Orationes scripserit, negligentius tamen non exaravit. Hoc vitium, quod commune est, ab eo longe abfuit, qui quidquid

scripto mandabat, ad summam adducere elegantiam, absolutionemque consueverat. Quare merito ejus Orationes summo in pretio ab intelligentibus habitæ sunt, & sæpius tum nostratibus, tum externis typis recusæ. Primum Venetiis in Collectione Calogeriana, tum Augustæ Vindelicorum, deinde Mediolani, ad extremum Genuæ, & Romæ.

XLII. Ne vero omnis politioris litteraturæ videretur expers, *Poesi etiam studuit*, (19) sed eatenus, ut de Poetis, cum opus esset, judicaret. Eos quidem legit attente, sed eorum suavitatem, elegantiam, & venustatem, & ne omnia laudare videar, in illis, quæ vulgavit, carminibus, non expressit. Sola enim lectio, quod exercitatio consequitur, non assequitur. Extat ejus Poema editum Venetiis anno MDCCXLIX, *de fontium Origine* inchoatum, & non perfectum. Extat aliud in Collectione Calogeriana Elegiacum carmen super argumento valde arido, & jejuno, quod ægre admodum latine exponi poterat, multo autem ægrius, & ornari versibus, & efferri poetice. Huic carmini titulus est: *Aleæ Januensis Romæ tradutæ ratio, Auctore Golmario Marsiliano*. Verum cum Lagomarsinus ad laudem Poeticam nunquam adspiraverit, non est de hoc magnopere laborandum. Quamquam si adspirasset, fortasse non plus,

quam suus ille Cicero fuisset consecutus. Quam facile de Poetis judicare poterat, & vero acerrime judicavit, eos tam ægre opinor assequi imitando potuisset. Alii quidem ingenii motus in Poetis, atque in Oratoribus requiruntur, quos si a natura non habeas, nequidquam aliunde coneris assumere; hos perficit ars si insunt, si desunt, minime tradit.

XLIII. Atque his satis expositis reliqua illius studia persequamur, quæ præcipuam ejus curam sibi vindicarunt. Ingenio supra quam dici potest sagax, & odora quadam venaticorum canum vi quodammodo præditus, mirum in modum ad pervolutandos excutiendos vetustos Codices ferebatur, ex quibus multa depromi posse ad publicum litterariæ rei commodum existimabat. Huic igitur studio se dedit, seque totum in abdita Bibliothecarum penetralia conjecit. Et vero, ut primum in ejus manus inciderant Ciceroniani Codices, quibus Bibliotheca Laurentiana abundat, exarsit statim mira quadam eorumdem evolvendorum cupiditate, & jam tunc de nova omnium Ciceronis Operum editione adornanda, & ad veterem manuscriptorum fidem exigenda Consilium cœpit. Hac de editione post a nobis dicetur, propterea quia separatum sibi postulat locum, tum propter ejus dignitatem, tum propter incredibilem molitionem.

nem. Hæc plurium annorum laborem exhausit non ita tamen, ut huic uni continenter incubuerit. Multa emergebant ex tempore, quibus satisfaciendum, multa sibi ipse ultro adsciscebat, de quibus propter nimiam eorum varietatem, & copiam, quo potero, ordine scribam, ne multa, quæ non exiguam ejus studiorum sibi partem vindicarunt, prætermittam, dum in Ciceronis editione totus esset.

XLIV. Ciceronianam, ut dixi editionem cogitabat, eique manus admorat, in eaque totus cum esset, intempestive admodum accidit, ut a *Gratiana familia* (20) Burgum Sancti Sepulchri, quæ urbs est in Etruria, invitaretur. Eo statim se contulit, liberali quidem invitatione commotus, sed multo magis Codicum manuscriptorum copia illectus, quam non ignorabat Antonium Mariam Gratianum, virum doctissimum, & Episcopum Amerinum, gentilibus suis reliquisse. Ut venit, ut vidit, obstupuit enim vero admiratus tantam Litterariæ supellectilis vim, tam amplam, tam locupletem, & confestim flagrantissimo potiundi quocumque modo posset studio incensus est. Itaque quandoquidem pecunia res transigi non potuit, facultatem exscribendorum Codicum petiit, & impetravit. Nec mora: Volumina illa omnia Florentiam allata

sunt, quorum ego immensam congeriem ante fores Cubiculi (neque enim ejus angustiæ illam capere poterant) conspicatus, quæsivi ex eo, quorsum tantus manuscriptorum Codicum acervus pertineret? Respondit: Hæc quæ cernis, volumina exscribenda sunt omnia, recognoscenda diligentissime, ut ne minimo quidem apice ab autographis discrepent. Obmutui, nec habui quid reponerem, vix id affirmanti credens. Quid quæris? quod se facturum recepit, reipsa præstitit. Volumina omnia ad unum excripta diligentissime recognita sic, ut cum ipsis contendere autographis possent. Qua in re, ut ejus est laudanda diligentia, ita requirendum consilium, qui cum tam grande onus, & vix ferendum Ciceronianæ editionis sustulisset, novo de onere, eoque certe non levi cogitaret.

XLV. Verum, quid faceres, quod consilium ab homine requireres, nimia quadam manuscriptorum Codicum orexi laborante? Frustra a tanto labore ab amicis dehortatus, frustra deterritus in deliberatione perstitit, aures nemini præbuit. Quod vero consequi necesse erat, evenit, ne frustra tantus labor susceptus videretur. Cum materies esset in promptu, nec aliunde asportanda, de exscriptis Gratiani, & Pogiani ineditis Codicibus edendis, Ciceronis cura non

quidem abiecta, sed in aliud tempus rejecta, cogitavit. Qua in re aliqua videtur dignandus venia, quandoquidem tantus labor prorsus non evasit inutilis. Huic enim duo præclara referenda sunt opera, quæ Lagomarsino summam existimationem, nomenque pepererunt. Alterum Antonii Mariæ Gratiani *de Scriptis invita Minerva* editum ab eo, & impressum Florentiæ anno 1746, & doctis æque, ac luculentis adnotationibus illustratum. Alterum *Epistolarum & Orationum Julii Pogiani*, quas Gratianus ipse edere cogitabat, sed quas multo rectius digestas, & adnotationibus locupletatas Lagomarsinus Romæ edidit annis 1756, 1757, 1758, 1762.

XLVI. Ac his de duobus Operibus in suo genere insignibus, ut dicam quod sentio, est profecto, cur eximiis scriptoribus, & ob summam latinitatis excellentiam principibus, gratuler æque eximium ac principem hujus ipsius facultatis editorem obtigisse. Quoad Gratianum spectat, ejusque libros, illud unum reprehendi videtur posse, quod illos *invita Minerva* inscripsit. Non enim invita, ac repugnante, sed annuente, sed lubente, sed volente, & favente Minerva scripti sunt. In his excellit mira rerum copia, & varietas singularis, elucet ubique stylus plane latinus, & aureo sæculo dignus. Materiæ vis cum linguæ præstantia certat.

Meo quidem judicio nulla esse lectio jucundior potest, neque vero, ex qua plura disci ad multiplicem diversarum rerum notitiam possint, eruditionemque spectantia. Hic diversarum nationum mores, leges, instituta noscuntur; hic plurimarum situs Urbium, ac Regionum agnoscitur; hic multa de externis animantibus, de Uris silvestribus, de Lince, de Castoro, quæ unaquæque provincia gignit, ac procreat, multa denique diverso in genere occurrunt, quæ legentem doceant, ac mirifice teneant. Hos ego libros si cum Museo rarissimarum redundantia rerum confertissimo comparem, eorum præstantiam, & copiam non assequar. Museum autem hoc lautum per se, ac locuples Lagomarsinus adnotationibus suis multo lautius reddidit, ac locupletius.

XLVII. *Ad epistolas Pogiani, quod attinet*, (21) si Gratiani libros fortasse non inconcinne cum Museo comparavi, hos non inscite, cum instructissima conferre Bibliotheca mihi videor posse, quam editor ipse mirum in modum auxit, ac propemodum exaggeravit. Quædam indicabo, reliqua poterit per se lector, si volet, ex ipsis voluminibus petere, digna sane, quæ cognoscantur. Extat in primis vita Pogiani a Gratiano quidem perscripta, sed a Lagomarsino recognita, ac propemodum de novo

contexta. Catechismus Romanus, merito ob elegantiam latini sermonis laudatus, cujus Scriptor ad eam diem incertus erat, Pogiano præcisa omni dubitatione, attribuitur. Breviarii Romani Historiæ complures eleganti latinitate a Pogiano donatæ; quarum index subjicitur, ne quis minus latini sermonis intelligens errare in eorum delectu possit. Supra reliqua vero, quæ fuse, luculenterque tractat, maxime eminet Concilii Tridentini Historia: Hæc confecta propemodum ab exordio exhibetur lectoribus, multisque ineditis documentis illustratur sic, ut qui Legati munere apud Catholicos Europæ Principes funguntur, vix nisi eam ante cognorint, ad gravissimam pro dignitate sustinendam provinciam parati satis, instructique videri possint. Multa quoque persequitur ad intimam latinæ linguæ cognitionem pertinentia omnino legenda ab iis, qui hujus linguæ peritia, elegantiaque capiuntur. Has enim edidit latinas Pogiani Epistolas, ut de earum latinitate judicet, nonnulla reprehendat, aliqua etiam emendet. Quod officere Pogiano minime debet, quominus Scriptor elegans habendus sit.

XLVIII. Nec vero hic reticebo causam olim magnis contentionibus jactatam, aliis aliud opinantibus, ab Lagomarsino susceptam, & felicissime expeditam. Ediderat *Gabriel Faernus*

Cremonensis (22), vir clarissimus, & in paucis eruditissimus Fabulas centum adeo elegantes, ut non sine gravi Scriptoris injuria, qui eas tamquam suas vulgarat, omnium fere intelligentium consensu aureo fuerint sæculo adjudicatæ. Ut enim erat indagator antiquitatis, & tabulariorum scrutator acerrimus, commota inde suspicio est ab ipso in aliquo antiquo Codice repertas sibi usurpasse, ac fecisse proprias. Quæ suspicio turpissimi plagii doctissimum hominem insigniter dehonestabat. Hanc causam suscepit Lagomarsinus, egregie more suo egit, inveteratam opinionem omnino sustulit, Fabulas auctori suo adjudicavit, & meritissimum virum ab infami nota ingeniosissime liberavit. Hujusmodi causæ ab eo susceptæ, & æque feliciter confectæ plures occurrunt in his voluminibus, de quorum aliquo fortasse redibit sermo ut dicam, aut eas saltem indicem.

XLIX. Hæc igitur duo opera elaboratissima cum sint, mirandum non est, si summa cum doctorum hominum approbatione excepta fuerint. Audiatur, quid de iis senserint duo clarissimi viri. Jacobus Facciolatus litteris ad eum 22 Octobris anno 1762 Romam Patavio datis. *Sono* (inquit) *diversi giorni, che io altro non leggo, che il suo Pogiano, egli è un gran latinante, ma ella lo supera nella Critica della*

lingua, ed io ne profitto pel mio Dizionario .... Io credo che Scrittore alcuno, per Classico, ed autorevol che sia, nè antico, nè moderno abbia trovato un illustratore pari a lei. Certe sue note sono stupende, nè da altri potean farsi in questo Secolo, che da lei. Philippus Bonamicus in elegantissimo opere suo inscripto *de Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus* edito Romæ anno 1753, pag. 119, *Sed illorum*, inquit (Julii Pogiani, & Antonii Mariæ Gratiani) *pulcherrima eloquentiæ monumenta a nostris hominibus insolenti quodam rerum domesticarum fastidio neglecta in lucem revocat Hieronymus Lagomarsinus, latini Sermonis & amantissimus, & peritissimus, ejusque homo Societatis, quæ latinarum litterarum fugientem jam gloriam omni Scriptorum genere retinere una quodammodo conatur.* His testimoniis, quid afferri illustrius, ac magnificentius possit non video.

L. Quandoquidem hæc de manuscriptis scribo, reliqua hujus generis, ut se dabit occasio, persequar, ne quidquam in quo plurimum operæ posuit, sive ignorantia, sive negligentia præteriisse coarguar. Tres de *Re Rustica* (23) probatissimos Auctores cum veteribus manuscriptis, & nobilioribus editionibus contulit, & quæ discrepabant, singula excerpit, & diligenter adnotavit. Has adnotationes Julius Cæsar Pon-

tadera, vir doctissimus, & doctor Patavinus, cui accuratissima, ac prope religiosa his in rebus Lagomarsini diligentia satis nota erat, atque perspecta, tanti fecit, ut earum sibi fieri ab eo copiam postularit, quibus in opere, quod in lucem emittere super his auctoribus meditabatur, uteretur. Quod postulavit, ab humanissimo viro facillime obtinuit. Profecto litterariæ cujusdam liberalitatis exemplum. Lucubrationes enim hujusmodi haud ita facile adducimur, ut aliis, qui laboribus nostris sine impendio, atque adeo interdum non sine compendio proficiant, impertiamur. Opus autem, nescio qua de causa, in lucem emissum non fuit, non tamen omissa, immo vero testata litteris, grati animi significatio, & adnotationes redditæ.

LI. Cum Bibliothecas scrutaretur, adnotationes quasdam in Vitruvium, totius antiquitatis Architectum longe peritissimum, nullo adscripto nomine, quod Auctorem proderet, fortuito invenit. Illud unum conjici certo poterat, quicumque is fuisset, virum fuisse doctissimum. Has sagacissime odoratus, ulla sine dubitatione conjecit Joanni Baptistæ Villalpando, viro e Societate doctissimo, esse tribuendas. Nec vero sine causa. Multa enim in his reperit, quæ cum celeberrima ejusdem Auctoris Hierosolymitani Templi Icnographia congruebant, & con-

jecturam mirifice confirmabant. Neque vero hic alterum e Societate virum doctissimum præteribo, cujus concionum Codicem, qui in angulo domesticæ Bibliothecæ neglectus delitescebat, casus in manus attulit: Is est Joannes Victorius, *vir potens opere, & sermone*, cujus res ad Dei gloriam & animarum salutem præclare gestas historia Societatis Jesu persequitur. Codex spissis adeo lineis, exilibus adeo, contractisque notis scriptus erat, vix ut legi posset. Legit Lagomarsinus, & Sacra disertissimi hominis eloquentia captus totum exscribendum curavit, recognovitque more suo sic, ut cum authographo prorsus congrueret, & ne minimo quidem apice discreparet. Multa hoc modo vir solers, ac plane sagax, aut ab interitu eripuit, aut ab oblivione hominum vindicavit, ignarus nimirum, quem tandem exitum tot curæ ab eo susceptæ essent habituræ.

LII. His quæ indicavimus, partim exscribendis, partim vulgandis intentus, quibusdam turbis se implicuit, quæ *exortæ sunt Florentiæ*, (24) & magnos clamores ea in urbe excitarunt. Equidem invitus facio, ut has commemorem. Ingenio enim meo delector otio, & solitudine, nec quidquam magis odi, ac refugio, quam me inferre medium odiosis in rebus, quæ cum bona utriusque partis gratia fere componi non pos-

sunt. Sed historiæ lex non patitur ea silere, quæ vulgo nota, & jactata sermone jam sunt. Occasionem turbis dederunt Sermones quidam a Julio Cæsare Cordara latino carmine exarati, & hoc titulo editi: *L. Sectani Q. filii de tota Græculorum hujus ætatis litteratura ad Gajum Salmorium Sermones quatuor. Accesserunt quædam M. Philocardii enarrationes*; quibus, propter turbas quas dixi, Florentiæ excitatas, quintum Sermonem Cordara addidit. Auctor certe, qui longe aberat, & ea in urbe nunquam fuerat, quem ex Florentinis carperet, ac describeret, propositum habuit neminem. Sed rem acri, quo pollebat, ingenio, sic ad imitationem adduxit, ut qui re ipsa Græculus esset, his in *Sermonibus* se ad vivum expressum, ac plane depictum cerneret, usque eo, ut vel ipsa verba, quæ in amicorum, uti fit, congressibus pronunciasset, sibi recini audiret. Quod quidem, non consilii, sed exquisiti cujusdam artificii fuit in intimos istiusmodi hominum animos pervadere, ex iisque Sententias ac verba ipsa elicere. Neque vero hoc novum, atque inusitatum. Hoc ipsum admiramur in Comicis, hoc in Tragœdiis, hoc suspicimus in summis Oratoribus, ut non continuo, si quid simile legatur, id dedita opera factum dici possit. Quare non assequar, cur vir sane doctus, atque eru-

ditus (Joannes Lamius) his in Sermonibus se descriptum suspicari potuerit. Cum enim nemo esset nominatim appellatus, quid causæ fuit, cur de se aperte confiteri non dubitaverit? Silentis res premi debuit, ac dissimulatione præteriri.

LIII. Porro hi *Sermones* Pompejo Venturio Collegæ attributi sunt, Enarrationes Lagomarsino. Illud omnino falsum, hoc verum, quod Lagomarsinus ipse prodidit epistola ad Abrahamum Gronovium *Sermonum* elegantia captum, & de Auctore sciscitantem, data. Pudet hoc loco impura quædam commemorare carmina, quæ hac occasione vulgata sunt, referta maledictis tum in Venturium, ac Lagomarsinum, tum in Societatem Jesu universam. In his, ut quæ pudor indicare prohibet prætream, affirmabatur apud mortales omnes usque eo despicatui esse Jesuitas, ut nemo ingenuus ad nos accederet, & nostrorum hominum consuetudo vulgo vitanda putaretur. His maledictis provocatus Lagomarsinus, quo ea refelleret, in suis ad *quintum Sermonem* enarrationibus indicem confecit, quo Patricios Florentinos, qui Societati nomen dederant, & adhuc superstites erant, non minus, quam ad duo supra viginti recensuit. Hoc non contentus, quod satis ad refellendum videri poterat, illis adcensuit Jesuitas, qui apud

omnes fere Europæ Principes summum tum gratiæ locum obtinebant. Hæc res, ne quid dissimulem, malevolorum auxit invidiam, eorumque in nos animos vehementius concitavit. Calumnia enim, quantumvis evidenter mendacii convicta, se continere non potuit, quin multo intemperantius, & vero atrocius in nos desæviret.

LIV. Tantis unius ob causam excitatis turbis domestici etiam valde commoti sunt, quorum censuram non evasit. Quamvis enim, quæ Lagomarsinus vulgarat, neminem læderent, ostentationem tamen quamdam a moderato, & religioso maximopere viro fugiendam, redolere non immerito visa sunt. Verum Lagomarsinus, si res merito suo pendatur, aliqua excusatione dignus videri potuit: Quod enim fecit, bono animo fecit, provocatus fecit, invitus, atque ab adversariis adactus fecit. Hoc ei cum a me fuisset objectum, respondit: *Nam quid tu fecisses, si Matrem quis tuam tanta injuria affecisset, & sordidæ, atque infimæ sortis, ac loci insimulasset? Nonne id exprompsisses, quo ejus ingenuitas, & stirps generosa demonstraretur?* His vere fateor non habui quid reponerem. Nihil enim dici potuit verius, nihil ad id, quod objectum fuerat, coarguendum accommodatius; sed tamen, quam dixi, censuram non effugit.

LV. Cæterum optandum quidem erat, ut hi

Sermones, eo, quo scripti fuerant, animo fuissent excepti, nec tot turbas commovissent, & has quidem immerito, nec ulla justa de causa. Nam quid, obsecro, reprehendi in illis jure poterat, nisi quod re ipsa reprehendi & merebatur, & debebat? Ut in moribus, sic in quibusque studiis liberalibus etiam, & laudandis, vitia quædam insunt, a quibus honestus vir abhorrere omnino debet, & longe abesse. Quæ si quis carpat, quod crimen hoc erit, cui tandem injuria fiet? Cum vero ita Scriptor sibi moderetur, ut neminem appellet, quid est, cur te ultro prodas? & in telum fortuito conjectum, sciens, & volens incurras? Verum, ut se res habuerit, certe hi *Sermones* hujusmodi sunt, ut cum veteribus Juvenalis, & Persii Satyris præstantia certent, immo vero aureo Augusti Sæculo plane digni, & merito ob eorum excellentiam, & nostratibus, & externis typis sæpius recusi. Quamquam iterum dico, optandum erat, ut res hæc quiete ac pacate fuisset transacta. Illud vero multo optabilius fuit, ut tandem aliquando sedarentur turbæ, & animi conciliarentur. Hoc autem impetratum. Qui se præcipue læsum existimavit, simultatem deposuit, redintegrata inter eum, & Lagomarsinum bona utrinque gratia, amicitia, & officiosis ultro citro-

que missis confirmata epistolis, & testata concordia.

LVI. His hoc modo sedatis turbis, animisque compositis, alia ex aliis, uti fuit, emergebant ex tempore, quibus vel doctorum, vel principum virorum rogatu satisfaciendum erat. Multa quoque sibi sponte sua adsciscebat, a quibus consultius abstinuisset. His fiebat, ut ejus animus a Ciceroniana editione, quæ cura esse præcipue debebat, abstraheretur. Opus autem, quod indefessam operam requirebat, retardaretur. Hæc, prout occurrent, ne a me prætermissa sint, commemorabo. Difficile est enim certum historiæ iter tenere, & hominis hac illac discurrentis vestigia persequi.

LVII. Exorta erat memoranda, & gravis contentio inter Scipionem Maffejum, & Hermannum Samuelem Reimarium, viros eruditissimos, super emendationibus quibusdam, quibus Reimarius Dionem Cassium emendasse multis sibi locis visus est. Emendationes non probavit, & carpsit Maffejus. Itaque Reimarius a censura Maffeii ad judicium Cardinalis Quirini, viri longe doctissimi, provocavit. Quirinus vero, qui summam de Lagomarsino existimationem habebat, eum hujus controversiæ, quæ non vulgarem tum latinæ, tum præsertim græ-

cæ linguæ cognitionem postulabat, arbitrum elegit, & omnino esse voluit. Hanc difficillimam provinciam ægre admodum suscepit Lagomarsinus, quam a quovis alio delatam, in quo tantum auctoritatis non resedisset, ut ipse mihi affirmavit, omnino recusasset. Agebatur enim de duobus viris doctissimis, quibus inferre se medium in controversia implicatissima non audebat. Suscepit tamen tanti Cardinalis auctoritate permotus, &, quod ea de re sentiebat, scripto mandavit, & epistola ad ipsum Cardinalem idib. Septembr. anno 1749. Florentiæ data comprehendit. Epistola mirum in modum probata fuit, & digna habita, quæ vulgaretur. Judicium enim sic interposuit suum, ut neminem læserit, & bona tum Maffeii, tum Reimarii gratia controversiam magnis ex utraque parte contentionibus agitatam composuerit, atque diremerit. Extat hæc epistola in *Historia litteraria* Francisci Antonii Zachariæ Vol. 14, pag. 167, & 171.

LVIII. Hac feliciter expedita controversia alias minoris momenti diremit, de quibus nimis est longum dicere, nec præstat singulas commemorare. Inter hæc se medium intulit Societatis studium, quo flagrantissimo incendebatur, eamque non parum intercepit assiduitatem, quam in urgenda dies noctesque Ciceroniana

editione adhibere debuisset. Recurrebat quidem ad eam identidem animus, & non nihil operæ impendebatur; sed, quod dixi, studium facile hominem ab instituto revocabat. Hoc studio illectus, & abstractus plura ex Bibliothecis, quas frequenter Ciceronianæ editionis causa adibat, casu inventa, quæ ad Societatis nomen sive amplificandum, sive ad dignitatem tutandam plurimum valere arbitrabatur, exscripsit, quibus loco, & tempore, ut se daret occasio, uteretur. Hujus generis multa seposuit, quæ in ejus adversariis extare debent, & quidem minime negligenda, ut ego ipse, dum irascor homini, aliud ac debebat, & publice receperat agenti, cogar ignoscere. Multa etiam prodibant, quibus læsam Societatis existimationem arbitrabatur. Hæc suæ partis putabat, omnino ab se refellenda.

LIX. Prodiit in Polonia opus *Noctium Sarmaticarum vigiliæ* (25) inscriptum. Hoc ut ad ejus manus pervenit, legitque, statim pertimuit, ne *Vigiliæ* illæ Societatis in Polonia luminibus officerent. Itaque opus excutiendum, exagitandumque duxit. Multa in eo carpsit maxime ad linguam latinam spectantia, idque lepide admodum atque festive, totus scatens salibus, ac facetiis. Sed meo quidem judicio leviorem, ac nullius prope momenti causam suscepit. Multa enim in iis *Vigiliis* reprehendit, quæ auctori

domestica magnificentius prædicanti ignosci poterant. Hoc enim studio tenemur omnes, ut domesticas res, quantum possumus, gloriosius efferamus, & Sodalitati quisque suæ impensius faveat, atque indulgentius. Inter alia auctorem latini Lexici, qui sane immerito inter præcipuos Lexicographos numerabatur, salsius, quam par erat, & acrius exagitavit, ut me nunc valde pœniteat non suasisse homini amico, ut aut illam Censuram prorsus omitteret, aut certe temperaret, quod fortasse, quod ejus erga me studium erat, persuasissem. Sed jacta est alea, quæ revocari amplius non potest. Quandoquidem Censura vulgata, & vulgo perlecta. Cæterum non dubito, quin si Lagomarsinus luculentissimum, quod Auctor non tam Societati universæ, quam Julio Cæsari Cordaræ, cujus historiam publico mandato cognoverat, testimonium dederat legisset, auctori ipsi pepercisset, atque ab odioso hoc argumento prorsus supersedisset.

LX. Eodem erga Societatem studio adductus multo justiorem causam suscepit adversus *recentem editorem Epistolarum S. Teresiæ*, (26) qui ut editionem suam locupletiorem faceret, ejus epistolam nunquam antea editam vulgavit, in qua Sanctissima Virgo, & Societatis cæteroquin amantissima, de nimia Jesuitarum lucri cupidi-

tate conqueri audiebatur. Turpis sane nota, quæ insigniter Societatem dehonestabat. Editor quidem multa de Societatis laudibus, quæ in Vita Sanctæ Virginis leguntur, in adnotatione subjecit, cujus, ut animum probem, consilium requirere cogor. Certe consultius se gessisset, si a plaga imponenda abstinuisset, quam ab ea inflicta inanem apponere medicinam tentasset. Illud enim pervidere, atque adeo providere omnino debuit, ne calumniæ materiem obtrectatoribus in eam immorantibus, & undequaque quæritantibus præberet, qua in Societatem universam per summam injuriam abuterentur. Et vero neglectis laudibus, præconiisque subiectis, quæ pessimæ Causæ non favebant, illud arripuerunt, quod pro se facere videbatur, atque interposita tantæ Virginis auctoritate non sine Societatis probro, atque dedecore tota Europa vulgarunt. Hoc consequi omnino necesse erat, & hoc iterum dico præcavere editor debuit. Nam quid una tantum Epistola ad pleniorem conferre editionem poterat? Quis, si fuisset omissa, eam requisisset? quis efflagitasset? quis mancam, atque imperfectam editionem objecisset? Latitabat hæc epistola in urbe Hispaniæ nescio qua theca inclusa argentea, atque identidem populo veneranda proponebatur. Quid attinuit eam excribendam curare? quid, quod multo gra-

vius est, eamdem publico scandalo, atque offensioni vulgo legendam proferre? An censebimus factum hoc Sanctam Virginem e Cælo probasse? immo vero ego non dubito quin, & factum condemnarit, & una cum facto auctorem, qui se contra Ordinem, quem plurimi fecit, & unice adornavit, invitam produxerit, ac repugnantem.

LXI. Ansam falsæ huic opinioni, & obtrectatorum criminationi dedit anceps Sodalitatis vocabulum, quod statim struendæ calumniæ opportunissimum visum est. Neglexerunt mali homines in illud, quod oportuit, inquirere, & id tantum spectarunt esse hujusmodi, unde calumnia ad communem infamiam posset emergere. Hoc eodem in vocabulo, nè narratiunculam sane furtivam hoc loco omittam, haud ita pridem turpiter lapsus est in frequenti congressu nescio quis, qui cum Jesuitas mercaturam facere magnis lateribus, & voce maxima, contenderet, quo probaret negantibus rem ita esse, uti affirmabat, Ephemerides, quæ vulgo imprimuntur, in quibusque crebra de sodalitatibus mentio fit, protulit, recitavitque ignarus videlicet, hoc etiam nomine certos hominum cœtus appellari, qui conjunctis rationibus mercaturam exercent. Quod ubi a corona animadversum est, effusissimi statim consecuti sunt risus, &

impuri nebulonis temeritas merito est compressa, & castigata convicio.

LXII. Aggressus igitur hanc epistolam examinare Lagomarsinus, volumen haud exiguum confecit. Totam ab initio ad calcem solerter discussit; multa subtiliter investigavit, & inquirendo indagandoque pervicit *Sodalitatis* nomine Societatem Jesu intelligi nequaquam posse. Hoc ad diluendam infamem notam sufficere videbatur. Ipse vero hoc non contentus, quo certius calumnia refelleretur, eo usque solertia sua, & sagacitate processit, ut qua de *Sodalitate* nominatim sermo sit, invenerit, atque indicarit. Hoc in argumento ita versatur, ut nihil nec acutius conjici, nec probabilius ad fidem faciendam potuerit excogitari. Et sane multa in ea Epistola leguntur, quæ Societati accommodari nullo modo possunt. Scribitur enim expectari propediem Præpositi Generalis adventum in Hispaniam, quo de adventu ne rumor quidem esse potuit. Præpositi enim Generales a S. Ignatio Conditore, Romæ nunquam non modo pedem non moverunt, sed ne unquam ab Urbe digredi cogitarunt, uno tantum excepto P. Laurentio Riccio, qui Neapolim totius Ordinis causa profectus est, anno 1759, ut Carolo III iter in Hispaniam suscepturo prosperum precaretur.

LXIII. Recenti editori Epistolarum S. Teresiæ, recentem item editorem Vitæ S. Caroli Borromæi addam, qui ut editionem suam auctiorem faceret, similiter peccavit, & non pauca ex Mediolanensi insigni tabulario deprompta vulgavit, vel potius dissimulans, ut eventus postea docuit, illa eo gravius contra Jesuitas momentum habitura, quo gravissimum sanctissimi viri auctoritatis pondus accederet. Hæc uti legit Lagomarsinus, vehementer commotus est. Statim ad editorem litteras dedit modeste conquestus, quod ea vulgasset, quæ non dubitabat, quin perversam in partem accepta ab adversariis Societatis, non sine ejus famæ, ac nominis jactura, injuria quidem, sed tamen objicerentur. Respondit Editor, id si eveniret, multo plura ex eodem tabulario depromi posse, quibus Societatis dignitas vindicaretur, & obtrectatorum coargueretur improbitas. Quod futurum affirmavit Lagomarsinus, evenit. Captata statim a Societatis osoribus male dicendi opportunitas fuit. Lagomarsinus sibi, & causæ communi non defuit, & sine mora datis iterum ad Editorem litteris, eum obbligatæ fidei admonuit, promissa repetiit, rogare, instare, urgere non destitit, sed ille promissis non stetit, fidem prodidit, amicum fefellit. Has mecum epi-

stolas ultro citroque missas communicavit, cum simul animi causa via Portuensi deambularemus.

LXIV. Ab hoc vitio longe abfuit Lagomarsinus, cujus summam his in rebus temperantiam, & vero religionem satis laudare non possum. Cum enim esset acerrimus, quam quisquam alius, Tabulariorum investigator, fieri non potuit, quin non pauca repererit, & vero reipsa reperit, quæ Sanctorum virorum famæ, ac nomini aliquo modo officere videri poterant. Ab iis tamen consulto excribendis, multo autem magis edendis, me etiam suasore abstinuit, ne imperito vulgo offensioni essent, qui facile in hæc, & in his similia impingit, ac labitur. Multa in Bibliothecis retrusa jacent, ac recondita, quæ tegi omnino debent, & quorum præstat obliterari, quam renovari memoriam; contra atque nonnulli inepti, & sentiunt, & faciunt, qui magnum quiddam se efficere arbitrantur, si nullo delectu inedita quæque atque abdita in lucem proferant; nec improvidi animadvertunt, quanto se interdum piaculo obstringant. Atque hæc quidem temperantia, ac religio, quæ nunquam non adhibenda est, eo maxime tempore adhiberi debuit, quo omnia contra Societatem fervebant calumniis, & via ad ea, quæ cum magno Catholicæ religionis (nam

privatam causam, quid a publica separem?) detrimento consecuta sunt, muniebatur. Nihil enim tunc Societatis inimici affectabant magis, quam se Sanctorum tueri auctoritate virorum, ut, quæ ab ipsis infesto gerebantur, bono fieri animo, & vero etiam communis utilitatis studio existimarentur.

LXV. Verum hoc in genere nemo intemperantius se gessit, quam *Scriptor quidam cujus nomini parco*, (27) de quo paulo fusius videtur esse scribendum. Equidem invitus facio, iterum dico, & sincere profiteor, ut in odiosam controversiam ingrediar. Tacere mallem, quam loqui. Loquar tamen, ut historicus, non ut insectator, &, quam potero, mihimet moderationem adhibebo. Atque ut hujus controversiæ tota ratio explicetur, altius ejus exordium est, & memoria repetenda. Ediderat Auctor hic Satyram, vel Satyras, non memini, latino carmine exaratas, & admodum virulentas, in quibus non solum eximii quidam e Societate viri, sed Societas maledictis petebatur universa, & insigniter lædebatur. Quo loco plane nescio, utrum mirer, an ingemiscam, quemquam existere potuisse, qui tam intemperanter, ne graviori vocabulo utar, in liberalissimum Cœtum, & de religione Catholica optime meritum inveheretur. Ut Satyras legit Lagomarsinus, supra

quam dici potest, vehementer commotus est, tam gravis irrogata toti Ordini injuria *mansit alta mente reposta*, & expectata, dum illam propulsandi se daret occasio. Aliquot post annos idem Auctor Sodalis sui malæ fidei nomine a Jesuita arcessiti defensione suscepta, contra Jesuitam accusatorem plura, de quibus hic nequaquam necesse est dicere, vulgavit. Hæc visa est Lagomarsino occasio peropportuna, quam statim arriperet, & contra Satyrarum Auctorem, quæ diu clausa in animo habebat, expromeret. Itaque duas epistolas confecit, & Tridenti edidit anno 1754. Mitto quæ in his docte, atque erudite persecutus est, ut Sodalis causam defenderet atque tueretur, propterea, quia ad hanc, de qua scribo, controversiam minime pertinent. De Satyris tantum loquar, quas exagitandas suscepit Lagomarsinus, de iisque, quæ exagitatus auctor contra Lagomarsinum intemperantissime effudit.

LXVI. Auctorem igitur hunc, non eum quidem latini Sermonis prorsus ignarum, sed de incorrupta, & eleganti latinitate sibi nimium præfidentem, quo certius ejus auctoritatem elevaret, castigandum censuit, eosque, quibus intumuisse videri poterat, spiritus esse duxit comprimendos. Hoc ut assequeretur, multa contra grammaticos Canones, multa contra poeticam

syllabarum dimensionem ab eo peccata reprehendit, multa quoque ab interiori latinæ linguæ cognitione petita addidit, ac notavit, de quibus vere ac generatim affirmari potest pleraque nullo modo defendi posse. Hæc censura incredibiliter Satyrarum Auctorem pupugit, qui tanta efferbuit iracundia, ut continere se non potuerit, quin oblitus sui in illa, quam edidit, responsione, censorem suum probris, & contumeliis affectum usque eo despexerit, ut eum *minime idoneum* existimaverit, cui adolescentulus primis litteris *imbuendus in disciplinam traderetur*, *ut pedagogum appellarit*, *ut in gurgustium*, *ubi vapularet*, *compulerit*.

LXVII. Hæc, aliaque hujusmodi liberali homine, & liberaliter educato prorsus indigna vulgavit, quæ ego ei facile remitto, & condono. Sua se dignitate, atque existimatione tuetur Lagomarsinus, qui tantum abfuit, ut hæc sibi probro esse vertenda pertimuerit, ut hæc ipsa scribere, & vulgare in Pogiani *Epistolarum* editione non dubitarit, Vol. I, p. 233, &c. Et recte quidem. Nullum enim certius profligatæ causæ indicium est, quam esse coactum, eam conjectis in adversarii probris, contumeliisque defendere. Male profecto se res habet, cum ad hæc arma confugere adigeris, arma, inquam, a trivio arrepta, non a rationis armamentariis de-

prompta. Ratione pugnandum, non conviciis decertandum, quæ vel optimam causam deteriorem, atque adeo pessimam faciunt. Præterea, quodnam amentiæ genus esse dicam, cum alium lædere velis, in te ipsum sævire; cum adversarium dedecore contendis afficere, te ipsum multo turpioris infamiæ nota fœdare? Nihil enim est, quod hominem dehonestet magis, nihil quod, quo sit loco natus, certius prodat, quam communem cum abiectissimo vulgo habere sermonem. Verum hæc, quæ privatum hominem afficiunt, facile, ut dixi, remitti possunt, & condonari.

LXVIII. Quæ vero ad universum Ordinem spectant, lente omnino non videntur esse ferenda ac dissolute. Nam, obsecro, quo jure, quo more in illis, quas dixi, satyris traduci potuit universus Ordo perinde, ac si totus constaret ex Hæreticis, & vero etiam ex Hæresiarchis constitueretur? Nullus ne in re tam gravi & criminosa tenendus fuit modus? Nihil distinguendum inter eum, qui errore lapsus sit, & qui errorem pertinaciter tueatur, atque defendat, re integra & nondum cognita, atque ab idoneo judice definita? Non hæreticus ab hæresiarcha separandus, qui nimirum errores disseminet suos, sectamque ducat? Omnia hæc igitur confundenda, &, quod atrocissimum, per summam ca-

lumniam, atque injuriam in totum Ordinem congerenda? Proferat, si potest, aliquem Hæresiarcham e Societate prodiisse, a quo, jure ejus sectatores appellari possint. Aliquem fortasse Hæreticum poterit, sed qui ante a Societate culpa sua dimissus, tamquam ejus haberi sodalis nec potest, nec debet. De hujusmodi hominibus non laborat Societas, quos tamquam suos amplius non agnoscit; sibi enim non stant, atque cadunt, quo tandemcumque aut sese agant, aut agantur præcipites.

LXIX. Nec vero quisquam suspicetur, hæc a me sine causa conqueri: quid sibi voluit? quo spectavit? cum Jesuitas in acervum collectos *Pelagianos*, *Semipelagianos*, *Confucianos &c.* indiscriminatim appellare non exhorruit? Idcirco ne, si quis forte erraverit, quod humanum est, & cum doctissimis cujusque Ordinis viris commune, continuo novus emergat Hæreticus, novus tamquam in fictitia scæna prodibit Hæresiarcha? quid quod, absit a me, si ego nunc unum aliquem ex iis, qui tanta infamia jure, & publica auctoritate notati sunt, in medium proferam, & simili nominis inflexione usus, reliquos ejusdem disciplinæ alumnos appellem, nonne graviter reprehendendus sim qui privatum dedecus cum communi probro, ignominiaque conjungam? Hæc gravia sunt, acer-

bia, immania, atrocia, ut nemo non videt, quæ rursus miror ejus animum non refugisse, cum scriberet, & siquidem reprehensionem hominum contemneret supremum judicem non esse reveritum vel otiosorum severissimum vindicem futurum; exactoremque verborum. Hæc ipsa grandibus impressa notis edidit, & legenda exhibuit Lagomarsinus, credo ut auctorem puderet sui, quod hæc temere atque inconsiderate effudisset; ac tantam intemperantiam (sic enim interpretari malo) sibi excidisse pœniteret. Sed de conquestionibus satis.

LXX. Nunc de censura, de qua etiam mihi videor copiosius esse non tam scribendum, quam disserendum, ut quemadmodum in re grammatica, & facultate oratoria præstantiam asserui, ita modo accuratum ejus, & certum in censura judicium ab ejus obtrectatoris injuria vindicem. Dicam igitur, quod sentio libere, & de studiis humanitatis scribens, mihimet paulo liberius indulgebo. Homo Ciceronianæ lectioni assuetus, totaque animi vi in intimam latinæ locutionis naturam, & indolem ingressus, ejus species quædam, quæ perfectissima esset altius in ipsius mente insederat, in quam intuens, & tota cogitatione defixus ad ejus similitudinem adversarium suum adduxit, a qua cum valde discrepantem deprehenderit, idcirco in multis repre-

hendendum putavit. Male fortasse id quidem, ut postea dicam; Causam enim adversarii non mediocriter immodica censura sublevavit, non tamen injuria, ut ea, quæ reprehensa sunt, jure reprehendenda non essent.

LXXI. Hujus censuræ exemplum sit notata ac reprehensa locutio, *in hac rerum universitate*, sæpius, si recte memini repetita: quis enim est, vel mediocriter in Ciceronis lectione versatus, qui nesciat, Ciceronem hac ipsa locutione esse usum? Facile fuit adversario ad *Lexica* confugere; plura exempla congerere eorumque se tueri auctoritate. Quid tum? notari idcirco non debuit? nihil minus. Est enim ejusmodi, quæ nisi prudenter usurpetur, Ciceroniana in Syntaxi esse desinat, & insulsa, inepta, ac puerilis evadat. Multas hujusmodi locutiones pueri in scholis aucupantur, & coacervant: quis tamen eos latine loqui existimabit? Indulgent id quidem discipulis Doctores, quo eorum in scribendo diligentiam alant. Hæc autem indulgentia in viro gravi locum habere non potest, ut quod pueris remittitur, condonetur homini, qui sibi latini sermonis intimam arroget cognitionem, atque elegantiam affectet. Non igitur injuria reprehensa, sed merito notata.

(*Videndus de tota hac re Lagomarsinus in Litteris ad Joannem Vincentium Lucensem pag. 49. Edit. Trid. a.* 1754.)

LXXII. Similes hujusmodi locutiones temere usurpatæ in hoc Scriptore passim occurrunt, quas damnavit Lagomarsinus, & quivis latinæ linguæ peritus jure damnatas non inficiabitur. Acre enim supra, quam dici, aut credi potest, harum rerum judicium est, longeque a vulgi intelligentia abhorrens, qui crassa, & pingui Minerva judicat. Nec vero si recte latine scribere velis, ut de locutionibus minus, quam de singulis verbis, est magnopere laborandum. Verbum idem aliud est extra comprehensionem, aliud in comprehensione, qua cum antecedentibus, & consequentibus vincitur & colligatur. Verbi autem ipsius exquisita quædam, nunquam satis accurata adhiberi potest electio. Recte Tullius: *Verborum delectus est origo eloquentiæ*, quo delectu fit illustre, & speciosum quod dicitur. In hoc tantum momenti residet, ut res eadem alio, atque alio elata verbo aut rejiciatur, aut probetur. Itaque non modo verba latina usurpanda sunt, sed electio est adhibenda, & ex pluribus verbis latinis idem significantibus illud acri judicio deligendum, quod vel Cicero, vel quivis alius latine sciens eo loco, quo tu, reliquis omissis etsi latinis, optasset. Qui secus faciat, latinus scriptor habendus non est, & jure potest reprehendi. Hæc fortasse quibusdam nova atque inaudita videbuntur, nec

idcirco recta minus, & vera, & cuiquam qui latine sciat, probanda.

LXXIII. Audiatur Cicero, harum rerum idoneus auctor, & doctor, cujus si illustrem maxime locum hic afferam, non ingratum fore lectoribus credo, quo loco totam latine scribendi rationem non tam exequitur, quam plane ostendit, atque demonstrat. M. Calidium Lucilium in *Bruto* magnifice laudans, hæc habet: *Sed de M. Calidio Lucilio dicamus aliquid, qui non fuit Orator unus e multis, sed potius inter multos prope singularis fuit; ita recondita, exquisitasque sententias mollis, ac pellucens vestiebat Oratio; nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum, nihil tum flexibile, nihil quod magis ad ipsius arbitrium fingeretur, ut nullius Oratoris æque in potestate fuerit. Quæ primum ita pressa erat, ut nihil liquidius, ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret, nullum nisi loco positum, & tamquam in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum verbum videres. Nec vero ullum aut durum, aut insolens, aut humile, aut longius ductum, ac non propria verba rerum, sed pleraque translata, sic tamen ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum dixeris. Nec vero hæc soluta, nec diffluentia, sed adstricta numeris, non aperte, nec eodem modo semper, sed varie dissi-*

mulaterque conclusis. Hæc Cicero, quibus latinæ locutionis ad vivum nobis repræsentat imaginem, qua nihil fingi potest expressius, atque venustius.

LXXIV. Jam vero quis ista legens non miretur, non obstupescat? quis sibi non displiceat, ut plurimum in latini Sermonis excellentia, elegantiaque profecerit? Ego sane ista ipsa ad me referens me mei pudet, absonus mihi videor, inconditus, barbarus, horridus, ut plane cogar infantiam confiteri meam. Nam quis unquam hoc modo loquutus est? quis tanta elegantia, venustate tanta tanta concinnitate scripsit unquam? Unum si excipias Ciceronem, qui quidem de M. Lucilio scribens, mihi videtur ipse se descripsisse. Neque enim aliter esse debuit, quandoquidem in eo uno, quid Romana posset, experta est eloquentia, usque eo progressa, quo progredi ulterius nequaquam potuerit.

LXXV. Verum quando huc usque processit oratio, ut de his studiis aliquando fusius loqueremur, reliqua sane digna, quæ animadvertantur, persequamur. Age igitur, quid de Luciniano illo emblemate sentiemus? quantæ illud struere contentionis? quanti artificii, quantæ difficultatis existimabimus? Et sane, quam sæpe Vocabula loco movenda, quam multa rejicienda,

quam

quam crebra alia aliis sufficienda, quantum denique elaborandum, ut vermiculatam structuram efficiant, ut ad unguem cohæreant, nihil ut durum, nihil ut asperum aures offendat, sed omnia levia, polita, mollia in coagmentatione sint? Quamvis enim nihil tam tenerum, ac flexibile oratione sit, ut sequatur quocumque velis, tamen si ignoras artificium repugnabit, ac reluctabitur; tu vero frustra contendes, operam perdes, nec quidquam assequeris. Ut omnia verba latina usurpes, ut vel latinas locutiones adhibeas, ea si apte loco, & congruenter locare nescias, Lucilianum illud Emblema, in quo tota latini Sermonis sita vis est atque elegantia, numquam existet. Hæc autem si desideretur, quid tandem reliqui fiet, nisi ut insulsus, ineptus, & prorsus inelegans habearis?

LXXVI. Quid vero quod ista ipsa, quæ tantopere expetitur elegantia, vitio non caret, & odiosa interdum laborat offensione? Præclare more suo Tullius in *Bruto* Crassum laudans: *Erat*, inquit, *in eo accurata, & sine molestia diligens elegantia*. Nihil potuit dici verius, nihil ad reconditioris artificium præceptionis accommodatius. Fastidium creat, contra atque imperitis videatur, nimis elaborata, & exquisita supra modum elegantia; *difficile enim dictu est*, animadvertit Tullius (lib. 3 de Orat.

num. 22.) *quænam causa sit, cur ea, quæ maxime sensus nostros impellunt voluptate, & specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime abalienemur*. Verum quæ tandem cumque hujus fastidii ea nobis ignota causa sit, ita esse experimento docemur, ut vel in ipsis condimentis, quæ voluptarium sensum maxime afficiunt atque delectant, nisi temperamentum adsit, citius prædulcia, quam subamara respuantur. Quanto id multo verius ad artes traductum, ut in signis atque picturis, quæ nisi ad naturam accedant, nihil ut in iis redundet, nihil desit, nihil plus justo, aut expressum emineat, aut plus æquo expressum lateat, etiamsi floridiores sint, tamen non probantur? Usque adeo illud caput artis in omnibus rebus existimatur: *Ne quid nimis*; quamquam id non impediat, quo minus artificio utaris, sed perinde adsit artificium ac si prorsus abesset.

LXXVII. Elegantia igitur est adhibenda, quæ non dedita opera, captata non de industria aut quæsita appareat, non aperte sit, sed tecte, dissimulanterque usurpata. Quod si id propter summam rei difficultatem assequi nequeas, ut, quod sentio, dicam, malo equidem in scriptore quamdam negligentiam, quam nimis exquisitam elegantiam. Ipse ego præ nimis elaborata dictione præstabilius arbitratus sum, certo quodam

Orationis genere uti, quæ sibi constet, quæ non vagetur incerta, & cursum teneat æquabilem, etiam si labatur interdum, & ad grammaticos illos latentes scopulos, quos vitare vix possumus, interdum impingat. Quotus enim quisque reperitur, cui imprudentia aliquid inter scribendum non excidat, qui numquam offendat, qui nusquam incurrat? Commune hoc humanæ infirmitatis vitium est, quo ne veteres quidem probatissimi scriptores caruerunt, quorum dignitati habita postmodum a Grammaticis ratio fuit, & quæ perperam ab ipsis scripta latinitate donata sunt. Non hoc eo dico, quo mihi ignosci velim, qui non raro labor, & in non paucis offendo, sed, ut non aliter ac sentio, dicam.

LXXVIII. Hæc porro, multo antequam ego his de rebus suspicari possem, probe norat Lagomarsinus, qui a Tullii vestigiis non aberrans hæc ipsa in suis ad Pogianum enarrationibus expressit. *Quæret*, inquit, (vol. I, pag. 237) *fortasse aliquis, qua ratione, quave nota latinæ dictiones a non latinis, in latinis auctoribus internoscantur? Judicio, inquam, sensuque quodam, ac veluti gustatu, qui in animis non sane multorum inest, quemque percipi quidem ajunt, posse doceri negant ..... Sed tamen si quis fuerit in optimorum latinorum lectione diu multumque versatus, auresque incorrupto illorum, ac recto*

sermoni, tamquam tibiis quibusdam modulate canentibus, assuefecerit, non ita difficulter simili judicio quidquid in non optimis discreparit, ac tamquam absurdum atque absonum recinuerit, animadvertet.

LXXIX. Lagomarsinus igitur, diuturna optimorum scriptorum, ac præcipue Ciceronis lectione, reconditam latinæ linguæ cognitionem assecutus, & aures habens *tibiis illis modulate canentibus assuefactus* non satis eas ab Arcadicis distinxit. Non quod adversario suo hujusmodi aures natura affinxerit, satis enim latine doctus est & eruditus, sed, quod non satis exercitatus, nec in intima latinitatis penetralia ingressus, multa hujusmodi necessario peccare debuit, quæ a Lagomarsino merito notari potuerunt, nec a me singula jure notata demonstrari nisi ea generatim ad absolutissimum Ciceronianum exemplar, quod in Censura Lagomarsinus ipse secutus est revocando, unde, quæ prolixe a me disputata sunt, non inaniter, & extra causam disputata esse videantur. Qua in re tantum abest, ut Auctor hic de quo scripsi, irasci jure debuerit censori suo, ut etiam summam ei habere debeat gratiam, qui ab illo latini sermonis, elegantiam, atque excellentiam requisierit. Si enim ei res cum *Pædagogo* fuisset, aliter se profecto gessisset.

LXXX. Verum, ne quid dissimulem, nimius in censura sua fuit, cui si aliquantum pepercisset consultius fecisset, ne arma adversario traderet, quibus se tueretur, ejusque petitiones declinaret. Facile illi fuit ad Lexica adire, in eaque tamquam in arcem, quæ expugnari non posset, confugere. Quamquam ad hanc arcem quod attinet, ipsum Lagomarsinum ego sæpe affirmantem audivi, se minime, neque Lexicis, neque Manuscriptis fidere, quæ sæpe manifesto in errore deprehenderat; & vero is erat, qui de Lexicis, & Manuscriptis judicare poterat. Itaque sibi homo promptus, & acer non defuit, multa exempla a Lexicis collegit, nonnulla ex Cicerone deprompsit, ut illa exempli gratia, quæ adversario objectarat, probaret allata ex *Epistolis ad familiares*, quæ tamen nullo modo ei suffragari possunt (*desunt nonnulla*) ..... Aliaque hujusmodi congessit, quibus imperitis fucum faceret. Responsionem uno verbo coagmentavit, qua vulgata, quæ tunc popularis opinio fuit, non solum aliquid effecisse, sed etiam profecisse videri potuit.

LXXXI. Multi Lagomarsino Auctores fuerunt, ut responderet, quod nullo negotio fieri poterat; sed noluit, & judicium idoneis harum rerum existimatoribus reliquit. Responderi enim

nullo modo poterat, nisi iis rursus inculcandis, quæ jam acute, & solerter fuerat persequutus in ejus litterarum ad Joannem Vincentium Lucensem exemplo Tridenti edito 1754. Quibus de rebus cum vulgus judicare non possit, supervacaneum erat ad ejus iterum provocare judicium. Nonnulla attigit, & recte a se reprehensa defendit in Julii Pogiani Epistolarum enarrationibus Vol. I, p. 232. Quæ, qui legerit, modo idoneus sit, non poterit non admirari summam, ac plane reconditam tanti viri latinæ linguæ cognitionem. Hæc Lectoribus indicare meis non abs re visum est, ut si forte eorum in manus vulgata adversarii defensio pervenerit, videant quid de ea sentiendum sit, nec Lagomarsinum vel ignaviæ, vel ignorantiæ condemnent.

LXXXII. Venio nunc ad duo inedita Lagomarsini Opera, quæ ut sibi præcipuas ejus curas vindicarunt, ita præcipuum hoc in Commentario locum sibi postulant. Ac primo *dicam de editione Ciceroniana* (28), quæ reliquis ab eo inchoatis, ac non perfectis operibus dignitate, præstantiaque antecellit. Et certe opus aggressus est arduum, difficile, laboriosum, super quam dici, atque existimari potest, quod nemo certe præter ipsum aggredi ausus est, ipsum, inquam, qui nec labore vinci, nec as-

siduitate frangi videbatur posse. Statim igitur, atque intellectum est, accuratissimam emendatissimamque omnium Ciceronis operum ab eo editionem meditari, nova hæc editio Ciceronis studiosos vehementer expectatione sua commovit, ac tota propemodum Europa excivit. Et vero nihil optandum erat magis, quam ut Latinæ eloquentiæ Parens ejus ingenio, ac diligentiæ committeretur, qui tanto operi suscipiendo perficiendoque esset idoneus. Egregiam jampridem operam in Cicerone castigando illustrandoque posuerant Victorii, Faernii, Manutii, Grævii, Gronovii, aliique clarissimi viri; sed certe ad eam diem extiterat nemo, qui eum cum pluribus manuscriptis, & probatioribus editionibus contulisset. Præterquamquod omnium intelligentium judicio nullus extabat, uno excepto Lagomarsino, tam acri ingenio, ac solertia præditus, ac prope a natura elaboratus ad indagandas eliciendasque tanti scriptoris veras, germanasque sententias. His de causis ad tantum opus unus evocabatur, unus efflagitabatur, unus omnibus anteponebatur. Itaque hac de re crebræ postulationes, ac propemodum allegationes.

LXXXIII. Jacobus Facciolatus in sua ad eum, de qua supra mentionem fecimus, Epistola, sic ad eum scripsit: *Certe note sopra il Pogiano so-*

no stupende ... quali poi saranno le note sopra Cicerone? Prego il Cielo che possiamo una volta vederle. Scipio Maffeius datis Verona hac de re litteris die 4 Novembris 1748, acres ei ad tantum opus urgendum, & conficiendum stimulos admovit his verbis: *Tutto il mondo è in aspettazione delle sue nobili fatiche sopra Cicerone. La fama del suo ingegno eccita gran desiderio d' ogni letterario lavoro, dove ella metta mano*. Atque hi quidem Itali, & nostrates. Ex externis autem Josephus Olivetus in nitidissima sua Ciceronis Parisiensi editione: *Ingenue* (inquit) *fatemur plura Lagomarsinum præstiturum. Interim Italiæ gratulamur bonarum artium Parenti, quod egregiorum hominum, quos ipsa peperit studiis æterna sit latinæ facundiæ in majorum suorum, ac suis sedibus propagatio*. Joannes vero Michael Eusingerus in Opusculo *de Græcis, & Romanis scriptoribus* editionis Jennensis vulgato anno 1752, se multo plus Lagomarsini, quam Oliveti diligentiæ fidere aperte declarat: *Quare* (inquit) *rectius, quam Gallus Ciceronis editor Olivetus, faciet, plusque Oratorum principi proderit clarissimus Lagomarsinus Italus, quem postquam hæc scripseram, Ciceronis denuo cum priscis exemplaribus comparandi consilium cœpisse, & de singulorum, quorum inspiciendorum potestas dabitur, exemplarium æta-*

te certiores nos facturum audio. Huic itaque ad perficiendum munus promissum summa, quæ sperari possit, facultas contingat, cum multis aliis precor.

LXXXIV. Jam vero talem ac tantam, quam exciverat expectationem, quantum eniti potuit, non fefellit, & vix credibiles labores pertulit. Non vigiliis, non curis, non diligentiæ, non sumptibus pepercit. Neque vero laboris, & contentionis requirebatur minus, ut quod mente comprehensum habebat, efficeret. Constituerat, quod nemo ante ipsum, & nemo certe post ipsum, quæ ad Ciceronem quoquo modo pertinerent sive edita, sive inedita; quæ probatissima manuscripta, quæ emendatissimæ editiones, quæ præstantissimi enarratores sufficerent, quæ nobilissimæ Bibliotechæ suppeditarent, omnia excribere, eruere, digerere, sic ut nihil, quod ab aliis, qui ante ipsum eodem in opere elaborassent, sive ignorantia, sive incuria, sive laboris impatientia fuisset omissum, ab se præteriretur. Paucis eo usque homo ad grandia quæque suscipienda natus eo rem adducere meditabatur, non solum, ut nihil sibi reliqui faceret, quod in editionem suam non conferret, sed coram, nequid tentari in posterum a quoquam absolutius, ac perfectius posset. Immensum profecto quiddam hoc fuit, atque incredibile. Ita sane; sed

immensi quoque atque incredibiles suscepti labores, ac tales vix ut credam a quoquam potuisse suscipi, atque eo uno excepto, tolerari. Equidem hæc ipsa narrans propemodum exhorresco, cum ipsum cerno animo ad tantum opus toto pectore dies, noctesque incumbentem, nunquam cessantem, nec quidquam de vehementissima contentione remittentem.

LXXXV. Bibliotheca in primis Laurentianâ omnium locupletissima celebrabatur, nec vero non aliæ commutatis vicibus veterum manuscriptorum copia instructæ, vel rigidissima hyeme, vel ferventissima æstate adibantur. Proponebatur prope immensa Codicum multitudo, legendi omnes, informibus plerumque caracteribus scripti, & propter vetustatem notis & vix conspicuis ac prope evanescentibus. Nihil non animadvertendum erat, nihil non excribendum, prætermittendum nihil. Itaque plures continenter horas legebatur, numquam de codicibus oculi dimovebantur. Minima quæque ab editione Gronoviana, ad quam suam exigere instituerat, discrepantia adnotabantur, non apices, non puncta, non commata omittebantur, nulla quies, nulla mora, nulla intermissio dabatur operi, nec cessabatur, donec vel instante meridie, vel ingruente vespere discedendum esset. Stipatus erat non exiguo numero librariorum, qui va-

riantes lectiones exciperent, & scripto mandarent. Verum hi tantam contentionem cum ferre non possent, tametsi liberali stipendio illecti, facile dilabebantur, & quamvis potius molestiam perpeti malebant, quam tanto labore conteri, tanta pertinacia scriptoriæ mensæ tot horas immotos assidere. Itaque sufficiendi erant, qui similiter diutius in incœpto perstare non poterant, & quotidianam homini indefesso præbere operam renuebant.

LXXXVI. Unus igitur, quis credat? Lagomarsinus, aliis alio dilabentibus, qui tot valentissimos juvenes delassabat, perinde ac si laborem non sentiret, recentibus viribus, integra mente opere in incœpto perstitit, unus institit, unus perseveravit, ut mirandum sit contentionem tantam, neque obtrivisse vires neque debilitasse animum, neque constantiam labefactasse, nec denique tantam legendi assiduitatem oculorum aciem prorsus obtudisse. Hujus porro tam improbi, tam diuturni laboris, ac tantæ, & non intermissæ assiduitatis conscii advenæ omnes fuerunt, quotquot ex Italia, Gallia, Hollandia, Anglia, aliisque Europæ partibus Florentiam adventabant. Cum enim celeberrimam Laurentianam Bibliothecam, in qua stationem præsertim fixerat suam, & quasi tabernaculum collocarat, in primis visendam adire non nollent, nemo

non certior ab ipso fieri volebat, quem tot codicibus circumfusum, tot librariis vallatum, ac prope obsessum videbant, quo tanta rerum, tamque inusitata molitio spectaret. Ab eo autem edocti, quid operis suscepisset, hoc ubi intellexerant, & opus vehementer probabant, & una cum operis cognitione summam de eo existimationem secum discedentes auferebant, & ad suas quisque regiones deferebant. Quo factum est, ut ejus nominis fama mirum in modum percrebuerit, & hujus operis tanta, quantam supra diximus, tota fuerit Europæ expectatio concitata.

LXXXVII. In hac manuscriptorum codicum recensione, cum aliquot pertinaciter institisset annos, rem ad duodecim, si memini, prægrandia volumina adduxit, variantibus referta, & stipata lectionibus, quibus contentus esse poterat, si amicorum consiliis acquiescere non abnuisset. Sed quod miretur lector, & mihi vix credat, cum illam recognovit, mancam suo judicio, atque imperfectam propter nimiam describendi festinationem deprehendit. Permulta desiderari animadvertit, quæ omitti non debuerant, & multo, quam fuisset adhibita, majorem diligentiam, accuratioremque requirebant. Quid quæris? recensionem ab initio repetendam, & totum opus tam molestum, ac laboriosum rete-

xendum censuit. Hæc res, quæ neminem non exanimasset, non modo animum homini impigro & indefesso non ademit, sed potius addidit. Et vero nullo labore deterritus, nulla difficultate retardatus in suscepta deliberatione perstitit. Rem tantam, tamque operosam iterum ab initio aggressus est, nec ab ea vehementer, ac constanter urgenda, cujusquam neque precibus, neque consiliis dimoveri potuit. Nemo enim erat, qui ejus vicem non misereretur, & valetudini non pertimesceret, quæ tanta contentione labefactari omnino debuerat. Sed illa contempta miseratione, & posthabita valetudine, quod apud se statuerat, nihilo secius effecit. Rursus igitur inspecti Codices accuratius, rursus minima quæque notata solertius, atque excerpta diligentius, sic, ut volumina, quibus nova commissa recensio fuit, & numero, & magnitudine priora superarent. Res hæc, ut opinor, exemplo caret, & carebit in posterum, quæ satis indefessi hominis, ac labore quovis indomiti contentionem, constantiamque declarat.

LXXXVIII. Jam vero, quid in hac sua elaboranda hoc, quem diximus, modo editione spectarit, certius a me exponi nequit, quam si ejus specimen afferam Florentiæ impressum anno 1741, Idibus Maji. Hoc exhibito, atque inspecto totam tanti operis œconomiam, quam

animo comprehensam habebat, Lector agnoscat.

Prodendarum varietatum rationem novam excogitare coegit nos ipsarum multitudo pœne incredibilis. Paucæ enim voces in impressis codicibus sunt, quæ non aliter in scriptis extent; ac non numquam una eademque eodem scripta modo in nullo ms. Codice reperitur. Itaque, quum ad Manuscriptorum Collationes Jacobi Gronovii, editione Lugduno-Batava anno 1692 omnium, quotquot ad hanc diem lucem viderunt, nostro quidem judicio, emendatissima, usi essemus, commendatissimum esse arbitrati sumus, eamdem editionem religiosissime repræsentare, illique nostrorum codicum varietates deinceps, ut quæque occurreret inserere, atque inculcare: rejectis ad imam paginarum oram Jani Guglielmi, Janii Gruterii, Jacobi ipsius Gronovii, reliquorumque, in eadem editione collectis, variis lectionibus. Verum, quum non satis judicio nostro fidamus (sentimus enim, quam tardi, atque hebetes simus) voluimus doctorum hominum, atque prudentium hac super re sententiam exquirere, quos enixe rogamus, atque obtestamur, ut nos incertos, dubiosque consilio suo juvent atque confirment; & sive rem totam improbarint, sive aliqua in re corrigi, melioremque fieri posse judicaverint, id quidquid erit, ne nos celatos ve-

lint; quo tempestive possimus non modo nostris, verum etiam studiorum rationibus & bonarum litterarum consulere. Hæc autem nostra est in hujus orationis varietatibus prodendis ratio, non alia in reliquis Ciceronis universis Operibus, si non displicere eam intellexerimus, futura.

Prætermittimus Pisonianæ titulum, qualis in Lugduno-Batava Gronovii Editione (quam vulgatam posthac appellabimus) visitur. Tum nostrorum Codicum omnes titulos, cum omnibus, si quæ in eorum marginibus occurrunt, adscriptionibus subjungimus. Codices autem ipsos, appositis barbaris numerorum notis, indicamus de quibus Codicibus consulendus erit noster, quem de iisdem confecimus, Commentarius, in quo quæ ad eorum ætatem, pretium, possessores, atque ejus generis alia pertinent diligenter persecuti sumus. Uniuscujusque præterea Codicis scribendi formam, ac caracterem, singulis singulorum versibus in æreas tabulas a peritissimis artificibus incisis, talium elegantiarum studiosis exhibentes; cujus etiam rei speciem infra dabimus. Prodibit autem hic Commentarius in fronte primi Ciceronis Operum Tomi, quem in vulgus edituri propediem sumus.

Exhibitis ita Codicum ms. titulis, rursus ad vulgatæ contextum recurritur; præmissisque tribus principii ab Asconio servatis fragmentis, quæ

in ea proponuntur, ad Orationis primum caput, ut in eadem vulgata conspicitur, devenitur. Ubi varietas aliqua reperta a nobis in nostris Codicibus est, continuo ad eam ipsam vocem vulgatæ processus, ac textus abrumpitur, duplicique ex altera parte lineola, ex altera autem circuli segmento varietas ipsa concluditur, alio typorum genere descripta, illique numerorum notæ opponuntur, quibus quotiquique Codices, quorum ea lectio est, designantur.

Quoties numerali notæ subjicitur Corr. sive C, id intelligere debebit Lector, in Codicem per eam designata fuisse variantem ipsam lectionem ad vulgatæ editionis exemplum emendatam, atque correctam. Quod si in ipso Codice vocis alicujus syllaba, aut etiam littera interpolata reperitur ita, ut quod ita quid ante fuerit deprehendi non possit, tum ea, sive syllaba, sive littera, eadem qua vulgatæ textus typorum forma inter varietates exhibetur. Ubi vero tota vox ejusmodi interpolatione corrupta est, id compendiaria nota interpol. sive int. significamus, Codicibus, quibus id eontigit, continuo de more indicatis.

Voces in Codicibus omissæ hac nota om. *designantur, quæ si paulo plures fuerint, subjicitur etiam vox illa, ad quam usque omissio progreditur, ex. gr. in Pisonianæ* (Op. I. mentis om. ad decepit 24.) *significat, vocem* mentis,

vocesque itam consequentes usque ad verbum decepit, *fuisse in Codice* 24 *omissas. Quas si librarius ipse, aut alius quis sive in margine, sive inter versus* addidit, *tum subjungitur* addidit *sive a qua nota id ipsum, additas eas nempe fuisse, significatur.*

Si quis Codex ex. gr. 3 *cum vulgatæ lectione prius consentiens, deinde ad alterius Codicis, puta* 2 *lectionem inter varietates allatam, emendatus est, tum post numeralem variantis Codicis* 2 *notam, sic vulgo adscribitur:* 1, c. 3 *quo significatur, ita* correctum *Codicem* 3 *fuisse, quemadmodum est in Codice* 2, *quum prius a Vulgatæ lectione discreparet.*

Quod si aliquando, veteri lectioni non immutata præmissa nota afferetur in aliquo Codice alterius lectio, lectorique al. *seu voce* aliter, *id quod sæpissime contingit proponitur: eam ipsam rem, post citatum talis variantis lectionis Codicem, hoc compendio significamus* 1, var. ex. gr. 3 hoc est *ita variat* Codex 3. *Si vero ejusmodi varietas, non cum alterius Codicis, sed cum vulgatæ lectione consenserit, id post allatam Codicis* ex. gr. 3 *lectionem, ita significamus:* var. u. d. *hoc est* Codex 3 *variat, ut est vulgatæ textus.*

Hæc fere sunt, de quibus eruditos Lectores nostros esse movendos existimavimus antequam ad

rationem prodendarum nostrarum varietatum cognoscendam accedant: de qua ipsi quid sentiant, ut nos vicissim moneant, iterum rogamus, atque obtestamur.

Dat. Florentiæ Idibus Maji 1741.

LXXXIX. Ut specimen hoc editum fuit, & in existimantium arbitrium venit, varii varia, quod usuvenire solet, de quo liberam lectoribus judicandi facultatem relinquo. Verum, quæ poterat aliis aliud opinantibus utramque in partem agitari controversia, duo eam prorsus sustulerunt, ut de editione amplius cogitandum non fuerit. Et primo quidem impensa, quæ ad plura aureorum millia evasisset. Qua re factum est, ut impressores, qui sese ex diversis Italiæ partibus obtulerant deterriti, nulla conditione adduci potuerunt, ut tantum, tamque sumptuosum negotium suscipiendum putarent. Hoc primum: alterum, quod ex adverso librarii intercessit improbitas, quæ omnem omnino, etiamsi impressoris copia non defuisset editionis spem ademit. Huic describendos aliquot Codices, in ordinemque redigendos tradiderat pacta singulis paginis certa mercede. Ille vero extimulante lucri cupiditate, quo citius Codices absolveret, & quo plus minori labore emolumenti perciperet, de Codicibus paginas præcidere instituit: Indignum sane facinus, ac flagi-

tium non ferendum, quod opus summa cura confectum, & longa plurium annorum contentione elaboratum, & in suo genere perfectum, atque absolutum mancum reddidit ac mutilatum. Detecta fraude vehementer, supra quam dici potest, Lagomarsinus commotus est. Ut enim lacunæ illæ, quas decisæ paginæ effecerant explerentur, Florentiam fuisset regrediendum, & duorum saltem annorum impendendus labor. Librarius facti tam immanis conscius, & metu perterritus fugam arripuit, & certe, nisi aufugisset, Benedicti XIV, cujus ad aures pervenerat, & apud quem plurimum valebat gratia Lagomarsinus, iram vindicem non effugisset.

XC. Ego vero, ne quid dissimulem, duo cogar in hac tanta, tamque immanis Operis coagmentatione, quidquid de ea sejunctim spectata sentiendum sit, reprehendere. Ac primo quidem generatim probare nequeo, quod graviora sibi onera suaserat imponere, quam ut ea humana ferre posset infirmitas, non satis animadvertens, eo plerumque vota sua pertinere, quo evasura non essent. A natura quidem ad ardua quæque suscipienda incitabatur, sed pendendæ erant corporis vires, quæ animi administræ sunt, nec ita prægravandæ, ut opprimerentur. Corrigi in quo peccabat, natura debuit, & modus, qui in quaque re teneri debet, adhibendus. Hunc

si adhibuisset, &, quæ suscepit, viribus attemperasset, multo plura ingenii sui absoluta, ac perfecta monumenta reliquisset. Itaque tam exaggerata molitio, cursum, quem litterario in studio multo liberaliorem tenuisset, non sine litterariæ ipsius damno Reip. intercepit. Sed difficile nimirum est sibi moderari in rebus præsertim honestis, quæ quamdam excusationem videntur habere, etiamsi præstitutos virtuti fines prætergrediantur.

XCI. Hoc primum: deinde cur tanta contentio in re, ut ego quidem semper arbitratus sum, minime necessaria, & non ingenio pendenda, sed uno labore æstimanda? Ego sane, qui illum primum diligebam, summamque de eo existimationem habebam, & quem solum putabam idoneum, qui nobis latinæ eloquentiæ principem ita, ut ne nævo quidem ab exemplari discreparet, exhiberet, angebar quam maxime, nec ferre poteram, ut quæ potiores ingenii partes esse debuerant, eas sibi labor improbus, & contentio supervacanea vindicaret.

XCII. Huic ut labori, & contentioni occurreret, ei auctor fui, ut longe aliam, & multo proniorem iniret viam, qua facilius, & vero citius multo optabiliorem ad exitum perveniret. Pleraque nunc in Cicerone clara sunt, atque perspicua, quæ novo lumine ad ea illustranda

a manuscriptis petendo non indigent. Multa certe adhuc dubia, obscura, ambigua, quibus aliquid lucis, & opis manuscripti Codices afferre queunt. Hæc sola voluissem excerpisset, tentassetque, si quid ex iis elici posset, quo vel obscuritas, vel ambiguitas, vel quodvis aliud vitium tolleretur; reliqua inutilia prorsus, atque inania prætermisisset. Textum præterea Ciceronianum quem vocant, si confecisset, de variantibus lectionibus judicasset, probabiliores, quæ ipsi visæ essent, elegisset, quas ipse probasset, dubitari non poterat, quin docti viri, ejus auctoritate permoti, fuissent probaturi. Excipere autem omnes apices, puncta, commata, & ne ea quidem præterire, in quibus librariorum vel ignorantia, vel oscitantia peccaverat, cujus tandem operæ nisi illiberalis, genus erat, nisi ejus, quæ, ut dixi, non ingenio penditur, sed uno labore metitur? Hæc, aliaque hujusmodi negligenda erant, ut neglecta jam fuerant ab iis, qui ante ipsum eosdem Codices inspexerant & pervolutarant.

XCIII. Et sane quorsum tantum temporis in re momenti nullius insumpti, & prorsus consumpti, ab eo qui multo consultius, ad multo graviora, atque utiliora conferre illud debuisset? Laudo quidem ejus diligentiam, sed nimiam condemno, quam olim gnavus ille Imperator ignavo Cen-

turioni, cunctanti, & diligentiam causanti exprobravit illis verbis: *Non amo*, inquit, *nimis diligentes*. Diligentia quidem virtus est, & quidem maxime necessaria, quæ virtutes omnes, auctore Tullio, complectitur; sed si modum
Add. excedit, virtutibus ipsis præfinitum (*desunt nonnulla*) suppl. *terminum, vel modum*. Scio equidem, quam facile est hoc præcipere, tam esse exequi difficile. Sed hoc non obstat quo minus vere affirmetur. Hæc ego inculcare quantum potui; non destiti; sed mihi hæc ipsa proponenti, &, meo quidem judicio, multo consultiora suadenti aures non præbuit, & in sententia perstitit sua.

XCIV. Verum, cum non ego solum, sed multi ejus diligentiæ de minimis quibusque laboranti multa opponerent, & mecum sentirent, ipse quoque multa afferre solitus erat, quibus captum consilium tueretur. Magnum quiddam, ajebat, arbitrari præstare se, si omnium Codicum variantes lectiones uno prope intuitu inspiciendas lectoribus exhiberet, quas quisque nulla adhibita excriptorum opera, neque suscipiendis itineribus, neque adeundis bibliothecis, domi sedens per otium posset contemplari, & quæ potiores visæ essent, eligere. Qui prima specie librariorum errores videri possunt, ii, si acutius inspiciantur, tales interdum non deprehendi, quales antea, re non satis inspecta,

fuerint judicati. Ex his non raro veram lectionem, ab homine solerti, & acuto elici posse. Atque hujus quidem rei plurima afferebat exempla, quæ mire, quod contendebat, docebant. Virgilium, ut litteris proditum est, e stercore Ennii aurum collegisse, similiter ex erroribus, quæ librariorum inscitiæ falso nonnumquam tribuuntur, posse contingere, ut vera ac germana emergeret lectio. His de causis existimare se, Ciceronianæ eloquentiæ studiosis rem gratam facturum, si omnia, quæ ad Tullium quoquo modo pertinerent collecta, in ordinemque digesta tanquam munus aliquod, quo pro libito uterentur, obtulisset. Hæc, aliaque hujusmodi afferebat, quibus rem ita uti cogitaverat, atque instituerat, & non aliter, perficiendam suaderet.

XCV. Neque vero hic reticendum est, præter eam, quam diximus, Ciceronis studiosis exhibendi inspiciendorum Codicum commoditatem, aliud quiddam spectasse, & quidem prima specie non inutile, nimirum, ut certam Ortographiam constitueret, eamque ad veterem scribendi formam, rationemque adduceret. Quare sibi puncta, commata, apices, diphtongos, litteras aspiratas, librariorum interductus, aliaque hujusmodi nequaquam negligenda existimavit. Laudaram, si hoc assequi potuisset, verum quì poterat in tanta scribendi a librariis

usurpata varietate? Præterquam quod quid inde nobis emolumenti? Veteribus quidem pluribus intererat, utrum verba aspirata essent, nec ne, utrum essent, vel abessent diphtongi. Aliæ enim alio scriptæ modo voces appellabantur. Nunc vero mutata pronunciatione, & numeris ad nostras aures accommodatis, quid refert, si scribatur *deprehendo*, *vel depreendo*, *vel cælum*, *vel cælum*, vel dempta diphtongo simpliciter *celum*? Quo tandem scripta sunt modo, nequaquam diverso vocis pressu, ac sono a nobis pronunciantur. Veteres contra aliæ alio, prout scriptæ erant, modo voces efferebant, easdem anhelabant, nec de diphtongis ratio non habebatur; unde illa a Cicerone *de Oratore lib.* 3 præcaventur, & præcipiuntur: *Nolo litteras exprimi putidius*, *nolo obscurari negligentius*; *nolo exiliter exanimata exire*, *nolo inflata*, *& anhelata gravius*. Jam cum de veterum pronunciatione, cui illi religiose serviebant, desperandum nunc omnino sit, quid causæ fuit, cur tam minuta codicum descriptio fieret, & minima quæque consecraretur?

XCVI. Nec laborandum magis de interpunctione fuit, quæ varia semper extitit, & propemodum cujusque arbitrio permissa, cum alii alia utantur, & nemo certa se circumscribi lege patiatur. De Ortographia egregium confecit

volumen Manutius, lapidibus usus antiquis, qui tanquam authographi, ut re ipsa sunt, haberi debent. Sic enim, ut insculpti quondam fuerant, perseverant. Neque tamen quidquam certi definiri potuit, quin alii lapides eadem insculpti ætate reclamarent. Quid? qui nunc æque veteres Romæ quotidie eruuntur, nonne erutis jam ac defossis adversantur, ac contradicunt? Quare cum in re incerta nihil certi constitui potuerit, quid attinuit tantam adhiberi diligentiam? Sic se res habet. Ut communis semper fuit sculptorum in imprimendis inscriptionibus, ita librariorum in scribendis codicibus, negligentia, quæ nunquam emendari potuit, neque vero unquam emendabitur, unde infinita emergit varietas, certe inimica perscriptioni, quæ omnia turbat, atque pervertit.

XCVII. Postremo, ne quid reticeam, quod ad Ciceronianæ editionis apparatum spectat, Codicum omnium, quos inspexerat, atque exscripserat, historiam sane luculentam confecit, in qua, quod cuique pretium esset, cui sæculo adcensendus, qua depromptus ex Bibliotheca, quave potissimum nota a reliquis discriminaretur, partite ac distincte indicavit, nec quidquam more suo omisit, quod ad perfectam cujusque Codicis notitiam pertineret. Ne formam quidem notarum sive caracterum neglexit, quos

laminis cupreis incidendos curavit. Quamquam id supervacaneum videri poterat; sic enim minimos quosque apices, litterulasque graphice expressit, ac prope depinxit, ut oculis subjicerentur. Ego vero eam historiam legens mirarer hominem non latinæ linguæ servientem, quod plerique factitant, sed latinam sibi linguam in rebus explicatu difficillimis servire, quod paucorum est, adigentem. Facile enim ea, de quibus in latinis scriptoribus exemplar, quod sequamur, & quidem non raro serviliter persequamur, exhibetur, non ita difficili negotio exprimuntur, contra atque usuveniat in iis, de quibus nullum non modo indicium, sed ne levis quidem indicii nota in latinis scriptoribus reperitur. Qui hoc assequatur, & ita scribat, ut latini veteres eadem subjecta materia scripsissent, hunc ego judico latinam probe tenere linguam, ejusque dici, & merito haberi posse scientissimum.

XCVIII. Cæterum, ut finis sit, quamquam, quod cogitarat, perficere non potuerit, haud tamen tantus labor non frustra susceptus, atque omnino inutilis putandus est, nec ipse merita laude fraudandus. Publico enim commodo, quantum enixe potuit, servivit, & labore suo eorum, qui quid simile aggredi velint, laborem non mediocriter allevavit. Gravissimum ipse

sustulit onus, quo facilius ab aliis tolleretur: Certe magnum quiddam aggressus est, sed nihil curæ, diligentiæ, assiduitatis omisit, quo illud urgeret, ad exitumque perduceret. Quod si id minime assecutus est, hoc commune habuit cum summis viris, quos non raro eventus fefellerunt. Sed magnæ res non eventu, sed virtute penduntur, & *in magnis voluisse sat est*. Ingentem hoc in genere reliquit sylvam, ut si quis existat, aut extiturus sit, qui Ciceronis similiter studiosus, par ingenium, par acumen, parem diligentiam afferat, ea plurimum juvari possit. Fundamenta magni cujusdam ædificii jecit, quibus jactis nobile queat ædificari atque exurgere ædificium. Simile quiddam evenit in Vaticani Templi constructione. Bramantes, cui primum illa provincia fuerat demandata, non aliter ac Lagomarsinus, immensum quiddam, & prætermodum sumptuosum excogitavit. Successit operi Michael Angelus Bonarotus, qui adhibito modo immensum illud contraxit, & magnificentissimum, quod nunc admiramur, templum construxit, ita tamen, ut aperte confiteretur se tantam magnificentiam non fuisse assecuturum, nisi prius immensæ molitionis a Bramante excogitatæ species ejus animo insedisset.

XCVIIII. *Desperato Ciceronianæ* (29) editionis successu alio curas suas, cogitationesque conver-

tit. Itaque aliud opus non minoris fortasse moliminis aggressus est, quod quidem tametsi non omnino absolutum, in suo tamen genere perfectum existimari potest: Cum enim tunc temporis omni ex parte calumniis Societas peteretur, & omnia ferverent criminationibus, quibus id moliebatur, ut ad ea, quæ luctuosa toti Christianæ Reip., ac funesta acciderunt, via sterneretur, evenirent; homo Societatis amantissimus ejus sibi patrocinium suscipiendum existimavit. Quare cum ab adversariis eadem, quæ sæpe confutata fuerant, iterum, atque iterum opponerentur, nec *os loquentium iniquâ* obstrui videretur posse, aliud capiendum consilium putavit, aliam ineundam viam, non amplius disputationibus decertandum, nec rem gerendam ratione. Istiusmodi homines hoc modo affectos, allatis testimoniis omni exceptione majoribus, non tam obruendos censuit, quam opprimendos. Quare iis non unus & alter testis, sed testium invicta quædam phalanx, immo vero formidandus, & numero, & auctoritate exercitus quodammodo opponendus, cui, & si dubitari non poterat, quin resistere auderent, illum tamen repellere omnino non possent, ac prorsus infringere. Hac de causa multo gravissima opus hoc, de quo dicturus sum, suscepit.

C. Occasionem Operi dedit libellus quidam

Crysis Societatis inscriptus, quo plura sanctorum, ac doctorum virorum illustria, ac perhonorifica de Societate Jesu testimonia recensebantur. Arrisit mirifice opus Lagomarsino, & consilium auctoris probavit vehementer. Optime enim norat, quam præclarum sit *Laudari à laudato viro*. Verum opus hoc ei nimis exile visum est, & perangustum, quod judicio suo multo locupletius, & auctius fieri poterat, & debebat. Aggressus igitur illud retractare, sedulitate sua in perquirendo, indagandoque usus incredibilem quamdam, & prope infinitam testimoniorum vim collegit, & ducentorum, ac quadraginta annorum memoriam viginti, (ni fallor) densis, & magnæ molis voluminibus comprehensam colligavit. Quo factum est, ut opus mirum in modum creverit, & facta accessio primam operis institutionem longe superarit. Scrutatus enim Bibliothecas immensam laudum segetem nactus est, quam singulis, quos dixi, annis distinguendis digereret, & unde cupiditatem, quam hujusmodi monumentis colligendis tenebatur, satiaret. Hoc autem ne cuiquam minus credibile videatur, illud vere affirmari potest, de nulla sodalitate tot, ac tam splendida, & magnifica, & vero non tam privata, quam publica prolata fuisse testimonia, quam de una Societate Jesu. Magnarum enim rerum, & com-

munem sortem longe superantium proprium hoc semper fuit, nullus, ut neque in tollendo, neque in abiicendo adhibitus sit modus. Quomodo autem in hac quasi infinita testimoniorum recensione se gesserit, & quem ordinem tenuerit, Lectoribus indicabo. Exordium duxit ab anno 1542, quo condita a S. Ignatio Fundatore societas fuit, & a primo illo sensim digressus, ac ne uno quidem præterito, non intercisam testimoniorum seriem, conservatis, notatisque temporibns, ad nostram usque ætatem, atque adeo ad annum 1768 perduxit. Singulis testimoniis suus assignatus est locus, auctor, a quo testimonium decerptum fuit, appellatus, adscriptus voluminis titulus, Urbs, Typographus, annus, quo volumen prodiit enunciatus, indicata, caput, paragraphus, pagellarum ipsarum numerus, indicata item publica tabularia, privata scrinia, omnia denique ostensa sic, & distincta, ut quivis demonstrata loca adire, appellatos auctores legere, sententias sententiis componere, verba verbis conferre possit, & certus de religiosa ejus, qui recensionem instituit, fide, ac de testimoniorum veritate fieri.

CI. Hic vero non expectet Lector, dum vel Sanctorum, vel doctorum, vel principum virorum, qui citantur, nomina afferam, atque indicem texam generatim. Affirmo nullum e sum-

mis Pontificibus a Paulo III, qui Societatem Jesu amplissimo diplomate confirmavit; ad Clementem XIII, nullum e Sanctis viris, qui tempore Societatis floruerunt, nullum fere ex Imperatoribus, Regibus, & Dynastis, nullum item ex viris doctrina præstantibus, sive illi religiosis Ordinibus, sive publicis litteratorum Academiis, sive privati fuerint, desiderari. Nec satis. Hæc autem series, exacta sic est ab homine diligentissimo, & contexta, nullus ut annus, nullus mensis, & vero etiam nullus propemodum dies suo testimonio, & eo quidem honorificentissimo, careat. Quod vero miretur Lector, & obstupescat in hac recensione, Hæreticorum testimonia a Lagomarsino non prætermitta, cum in primis magnifica sunt, tum eo pluris facienda, quo ab hominibus ex Catholica religione dissidentibus Societati impertita, nulli esse obnoxia suspicioni possunt. Atque hæc quidem eo spectant, ut affirment, Ecclesiam ab ipsis oppugnatam vehementissime, a solis Jesuitis strenue fuisse propugnatam, atque defensam. Quod tametsi falsum est, nemo tamen non videt, nihil potuisse de Societate prædicari magnificentius.

CII. Hac ratione, hac fide opus hoc suum confecit Lagomarsinus, opus inquam non modo necessarium, verum etiam peropportunum, quan-

doquidem sensim inimicorum opes, animique creverunt, ut nihil minus, quo de totius Ordinis excidio, atque interitu laborarent. His fortiter restitit Clemens XIII; eorumque nefarios conatus repressit edita amplissima Bulla Anno 1764, Pontificatus sui septimo, qua Societatis institutum egregie de universa Ecclesia meritum a Paulo III, & a consequentibus Pontificibus mirifice probatum, Apostolica iterum auctoritate confirmavit.

CIII. Neque vero tantum sua sponte id fecit Clemens, sed etiam rogatu, atque efflagitationibus plurimorum Episcoporum, qui tota Europa litteras ei sane graves in hanc rem dederunt; & periclitanti Societati Apostolicæ Sedis patrocinium a summo Pastore, ac Præside imploraruntur. Summa autem Epistolarum hæc erat: *Ad Catholicam Religionem plurimum interesse, ut Societas retineretur, eam a probis viris unice amari; contra ab improbis, & Catholicæ Religionis hostibus odio esse. Hos ejus doctrinæ excellentiam summopere vereri, formidare invictam in propugnando Catholica veritate constantiam. Ethnicos extra Europam præsentissimo subsidio, quo ad Christianam religionem adducerentur, destitui non oportere, non posse facile submitti tot operarios, qui æque, impigre ac Jesuitæ in Vinea Domini laborarent. Hoc docere Catholicam*

Reli-

Religionem a societatis alumnis ad hoc usque tempus mire, ac feliciter toto terrarum orbe diffusam, ac propagatam. Rationem præterea habendam juventutis institutioni, & reliquarum piarum exercitationum, quibus juvari plurimum in pastorali munere Episcopi solent, & vulgo populi, ad omnem pietatem excoli, atque informari. His de causis Ordinem hunc esse omnino retinendum. Quod si secus iniquitate temporum eveniret, quod credibile vix esset, id futurum acerbum ipsis, grave bonis omnibus, & Catholicæ Religioni exitiale. Atque hæc quidem erat harum summa epistolarum.

CIV. Jam vero illa, quam dixi, Bulla acriter admodum ussit adversarios, non tamen eorum impetus omnino retudit, quominus nefario in inceptu obstinatissime perstarent. Quare Lagomarsinus, quo vulgatæ Bullæ majus pondus accederet, Episcoporum Epistolas edi voluisset, & Clementi ipsi inscribi. Nec vero quidquam intentatum reliquit, quominus, quod contendebat, assequeretur. Etenim, quamquam Clemens in sua Bulla diserte adfirmavit, se, quod faceret, Episcoporum rogatu facere, existimabat tamen fore, ut si litteræ ipsæ prodirent, & vulgo legerentur, fore inquam, ut hominum animos acrius percellerent, & tot Episcoporum cum Romano Pontifice in eamdem deliberatio-

nem conspirans sententia, violentos fortasse inimicorum impetus retardaret, ferociamque comprimeret. Sed circumspecta Clementis prudentia nequaquam adduci potuit, ut assensum præberet.

CV. Non concidit animo Lagomarsinus. Postulationem circumscripsit suam, & eo devenit, ut *peteret facultatem sibi dari*, vulgandi tantum excerpta quædam ex iis Epistolis una cum aliquot gravioribus, quæ ipse collegerat, testimoniis. Autographa enim illarum Epistolarum in ejus manus pervenerant, quarum legendarum mihi quoque facta potestas fuit. Has me legisse omnes non dicam, neque vero necesse erat. Paucis enim perlectis perinde erat, ac si quis legisset singulas, usque adeo in eamdem, quam supra exposui sententiam, mire consentiebant. Hoc facilius impetrari videbatur posse. Nec vero deerant, qui benevola in Societatem voluntate sumptum præstarent. Sed nimis infesta Societati tempora, & indomiti, inimicorum animi in dies magis, magisque ferociores effecti præclaris conatibus obstiterunt, & salutare hominis, non tam Societatis, quam Pontificiæ dignitatis studiosissimi, cogitatum intercepe-runt.

CVI. Huic collectioni tam splendidæ, atque magnificæ objici poterat, quod reipsa ei a me

objectum fuit. Colligi similiter posse calumnias, probra, contumelias, criminationes, maledicta, quibus semper appetita Societas fuit, & totidem propemodum voluminibus comprehendi. De nullo enim hominum cœtu tam dissidentibus animis, tam contrariis, pugnantibusque sententiis decertatum est, quam de hac una Societate, quæ ut Jesu nomine insignitur, ita de ea affirmari videtur posse: *In signum fuisse positam, cui contradiceretur*. Id non negabat Lagomarsinus; sed ajebat, testimonia a se collecta nullo modo conferri cum maledictis posse, ut probi viri cum improbis, Catholici cum hæreticis componi nequeunt, quorum vituperationes si pro eo, ac debent, æstimentur, laudis potius, quam vituperationis habendæ sunt loco. Præterquamquod auctores, a quibus depromi contraria testimonia possent, aut Hæterodoxos esse, aut Anonimos, qui cum sé celare voluerint, satis indicarunt odisse lucem, & publicum, quo refutarentur, formidasse judicium. Quod si e Catholicis nonnulli extiterunt, qui Societati infensi similiter se gesserint, erit, ajebat, cur verecundentur, qui se in Societate maledictis appetenda improbis, atque hæreticis hominibus adstipulatores, subscriptoresque præbuerint. Hæc reponebat Lagomarsinus, quibus, quod objectum

fuerat, dilueret, &, quod fecisset, a se recte factum probaret.

CVII. Ego vero, ut, quod sensi in summo Societatis discrimine, hoc loco sincere expromam ingenio indulgens meo ab omni contentione alieno, & a turbis valde abhorrenti, cum res ad eas angustias redacta esset, ex quibus humana eripi ope non videbatur posse, ab omni dimicatione supersedendum existimavi. Unum arbitratus sum esse Dei in tanta calamitate exposcendum auxilium; uni Deo fidendum, & *cum silentio ejus unius salutare præstolandum*. Atque hæc quidem tanto in discrimine, *& quidem in his angustiis* mea erat opinio, atque sententia. Memini me sæpe Virgilianum illud in re desperata usurpasse: *Nec defensoribus istis tempus eget*. Neque tamen eorum, qui aliter sentiebant, & nihil vel in extremo casu omittendum arbitrabantur, nunc damno, neque unquam ausus fui damnare consilium.

CVIII. Et sane non pauca postremis hisce temporibus privato jure a Jesuitis edita sunt, quibus communem causam tutarentur, quorum ego, & si dissentientem a mea sententiam non sim amplexatus, laudo tamen summam in scribendo moderationem. Quod si aliquid alicui acerbius forte excidit, justo dolori ignoscendum,

quis neget? Qui scripta ab utraque parte edita legerit, & secum contulerit, fatebitur profecto, nullum nostrorum hominum scriptum proferri posse, quod ullo modo cum iis, quæ contra nos edita sunt, & acerbitate verborum, & atrocitate calumniarum, & gravitate criminationum sit comparandum. Quare in licentia adversariorum intemperantissima summam sodalium meorum mirari cogar, & laudare temperantiam.

CIX. Voluissent ii quidem in suam supremos Societatis moderatores pertrahere sententiam; sed hoc extorquere nullo modo potuerunt. Immo vero tantum abfuit, ut ii privatas defensiones probarent, ut illis potius vehementer indignarentur. Atque hoc quidem provido consilio. Neque enim dubitari poterat, quin si horum accessisset auctoritas, novum inde crimen emersisset, quo tamquam concitatæ seditionis rei arcesserentur. Consilium probavit eventus, docuitque fuisse potius, si aliter se gessissent, & sibi, & communi causæ nocituros, quam profuturos. Quidquid egissent, deterrimam in partem fuisse acceptum, & inde captata occasio contra omnes severius animadvertendi. Notati enim erant præ cæteris ad perniciem, & designati sic, ut quæ acta sunt in universos eorum obtentu, quod re demonstratum est, jure acta censerentur.

CX. At enim adversarii vicerunt, lætantur, & triumphum agunt. Luctuosum triumphi genus, & in re tragica prorsus inhumanum. Acerbissimi porro, qui consecuti sunt, casus satis ostendunt non esse, cur quisquam lætetur, sed omnes angamur, & lugeamus. Non enim solam Societatem affecerunt, sed eos ipsos, qui ad ei conflandam invidiam partes suas conferre non dubitarunt, corripuerunt. Privata, ut putabatur, jam pernicies non est, & longe, lateque ad commune serpit exitium, atque diffunditur. Crescit quotidie lues magis, &, quorsum sit evasura, affirmare quis poterit? Facilis fuisset jactura Societatis, & æquanimiter toleranda, immo vero aliquo modo expetenda, si interitu suo constituta pace optatam Christiano orbi tranquillitatem attulisset; sed contra accidit, ac prætendebatur ad tollendam infamiam ut exordia fuerant, eorumque, ut nunc sunt, processus, non videtur de tranquillitate cogitandum, sed nihil esse mali, quod non sit pertimescendum. Hæc qui animadvertat, & futura prospiciat, erit profecto, modo bono animo sit, cur in tanta calamitate nobiscum una lugeat, ac tristetur.

CXI. Quamquam, quod ad Societatis interitum attinet, ejus adversarii errant, & vehementer errant, si eam prorsus extinctam arbitran-

tur. Nam præterquam quod non *exigua sui parte* nunc vivit, suis legibus, & instituto regitur, quæ reliqua pars est disjecta, ac dissipata, etiamsi prorsus intereat, non idcirco tamen Societatis memoria delebitur, & nomen obliterabitur. Omnia licet isti moliantur, omnem lapidem moveant, quantum opibus valeant, contendant, vivet, vel ipsis invitis, & repugnantibus, Societas Jesu in tot sanctis viris publico cultu ab Ecclesia donatis, vivet in tot Apostolis, & Martyribus, qui in ultimis terræ partibus primi Christianam fidem severunt, & proprio sanguine irrigarunt. Vivet in tot amplissimis Romanorum Pontificum Bullis, vivet in tot honorificentissime perscriptis Principum Virorum auctoritatibus, vivet in tot luculentissimis publice, & privatim editis testimoniis, vivet in tot impressis nullo prope numero doctissimis voluminibus, vivet in tot præclarissimis pietatis, ac religionis relictis monumentis, vivet denique in grata bonorum omnium, & totius posteritatis memoria, & ita perpetuo vivet, ut prius omnis conticescat Historia, quam de ejus laudibus sileatur, & egregia in Ecclesiam universam promerita omnium gentium litteris, ac linguis non celebrentur. Quid? quod confidi potest (sic enim auguror, nec va-

num me fore præsagium credo) adventurum tempus optatum a bonis, tametsi ipsis invisum, quo tempore a tanta ruina vegetior emergat, & multo quam antea magnificentius, splendidiusque efflorescat. Non enim aliter, quæ tristia, atque acerba ipsi acciderunt, interpretari volo, atque ille vult, qui res Machabæorum præclare gestas, sic scripto mandavit, ut eas, *qui legerit, non abhorrescat propter adversos casus*, sed ita accipiet, ut existimet, *non ad interitum*, sed ad correptionem a Deo fuisse permissa.

CXII. Atque, ut ad ejus opera revertar, hæc fere sunt, quæ descripsi, partim edita, partim inedita, quamquam non dubito, quin non pauca memoria exciderint. Generatim inter inedita numerari possunt, quæ reliquit adversaria. Horum ego congeriem prope incredibilem admiratus, & confusam in acervo miseratus ei Auctor fui, ut eam digereret, in ordinemque disponeret, ne si confusam reliquisset, desperata propter infinitam multitudinem scriptorum ordinandorum facultate interiret. Hac in re mihi quidem pro parte morem gessit; sed ab homine occupatissimo, ut reliqua similiter distribueret, impetrare non potui. Cæterum, si omnia colligantur, quæ vir hic indefessus, & nullo labore propemodum debilitandus reliquit, adnotationes, enarrationes, animadversiones, censuræ, de-

prompta vel ex publicis tabulariis, vel e privatis scriniis eruta, una cum voluminibus ad Ciceronianam editionem spectantibus, justa confici bibliotheca posset.

CXIII. Verum, quis ea nunc colligat dispersa, atque distracta? Scripta tanti viri, & volumina omnia, quæ magna impensa compararat, ipso extincto statim in Collegii Romani Bibliothecam, quæ sola a communi pernicie evasit immunis, inferri debebant; sed imminens calamitas consilium eripuit. Itaque ejus cubiculum illo ipso tempore, quo turbo vehementius ingruebat, omnibus illud ingredi volentibus patuit, & inde multa exportata certe scio, sed quo comportata, prorsus ignoro. Ego sane ab eo die, quo ægrotare moriturus cepit, ab inferendo in illud pede consulto abstinui, veritus ne amicitia vetus, & quotidiana consuetudo aliquid mihi molestiæ, & negotii crearet. Quare, si in summa monumentorum inopia, quæ materiam Historico ad scribendum sufficiunt, multa prætermisi, mihi ignosci volo, & æqui bonique fieri, quæ scripto mandavi.

CXIV. Hactenus de præcipuis studiis Lagomarsini, in quibus ejus versatus est labor, & enituit industria. Nunc pergamus ad reliqua, quæ non videntur omittenda, ut qualis, quantusque vir fuerit, magis, ac magis declaretur.

In primis commemoranda est ejus censura, quæ aliorum scripta cognoscebat. Hæc super quam dici, aut credi potest, fuit acerrima, ut severior fortasse Aristarchus numquam extiterit. Nihil erat, quod ejus aciem fugeret, quod solertia præteriret, quod elabi impune pateretur, nihil denique nisi emendatissimum, & castigatissimum ejus subtilissimo judicio probabatur. Quam exquisitam in scribendo diligentiam adhibebat ipse, hanc ab aliis requirebat. Quicumque is esset, qui ei sua scripta cognoscenda traderet, perinde in ea inquirebat, ac si scriptor ei prorsus esset ignotus, & nulla opinione doctrinæ commendaretur. Ajebat enim præconceptam doctrinæ opinionem pervertere censoris judicium, & sæpe efficere, ut quædam minus recte scripta probarentur, quæ docti viri ante probassent. Itaque non movebatur, quod ea, quæ sibi cognoscenda tradebantur, ab idoneis censoribus fuissent cognita. De horum præjudicio non laborabat, immo vero in ea acrius inquirens intendebat ante oculos, quo singula acutius inspiceret, solertiusque discuteret, & semper fere non pauca deprehendebat ab aliis non animadversa, quæ merita censura afficerentur. Hoc modo se gessit cum duobus doctis sane viris, qui tunc in Collegio Romano magna in humanioribus litteris existimatione florebant,

quos valde ætate provectos ipse admodum adolescens perculit, & quidem ita, ut multa, vellent, nollent, corrigere, atque emendare debuerint. Quæ res mirum in modum egregii Juvenis, quam de se in hisce studiis commorat expectationem, mirum in modum auxit, & confirmavit.

CXV. Et vero, *quantumvis minima* (30), ac prope nullius essent momenti, quæ interdum reprehenderet, & quæ fortasse posses defendere, hujusmodi tamen erant, ut abs te scripta nolles, & si dabatur facultas, ac non dum in lucem emissa erant, omnino corrigere velles. Tamquam apes, quarum spicula *cæcareinquiunt*, ut est apud Poetam, cæcum ipse etiam in cæco vulnere relinquebat aculeum, qui te dies, noctesque angeret, eoque non vulso quiescere nequaquam posses. Talis cum esset, qui nemini parceret, erant, qui eum nimis acrem, ac subtilem in notando criminarentur, ab ejus Censura maximopere refugerent, affirmarentque, quæ ipse animadverteret, neminem fuisse animadversurum. Male ii quidem, ac perverse. Aliud est enim aliquid, privato studio, scripto mandare, aliud quod amici legant, aliud, quod posteritati legendum tractes, cujus judicium quo liberius est, & incorruptius, eo formidandum est magis. Hoc doctissimus quisque spectavit maxime, nequa-

quam privato amicorum, plerumque lenocinantium assensu contentus. Quare magna cuiquam haberi debet gratia, qui te emendet, & meliorem efficiat. Contra illi, de quibus dixi, plane inofficiosi, nec propriæ existimationis solliciti, id ei vitio dabant, quod laudi vertendum erat, & hominis bene de se mereri volentis, parum liberaliter, ne dicam humaniter, officium respuebant.

CXVI. Hanc ego censuram, ut de me dicam, numquam refugi, ex qua utinam tantum profecissem, quantum & potuissem, & debuissem! Cum primum Roma discedens Florentiam adolescens veni, mecum litteras a Carolo Rotio, doctore in Rhetoricis meo, scriptas, retuli quibus me, quem humaniorum litterarum studio incensum norat, enixe illi commendabat. Ille vero, ut amico gratificaretur, quæ ad eam diem sive prosa, sive versu scripseram, non tam patienter legit, quam peramanter cognovit. Nec vero more suo censuræ pepercit; quare severissimam exercuit, & singula notans, nihil abire sivit impune. Hæc censura tam acris, & severa fateor me ad desperationem adegisset, nisi ipse me eorum virorum, quos supra indicavi, & simili affectos censura non ignorabam exemplo, utcumque sustentassem.

CXVII. Certe non dubito, quin de tanta, ac tam acris censuræ acerbitate non parum remisis-

set, ne juveni ad laudem in humanioribus litteris properanti nervos quodammodo, & cursum retardaret, si ei meum perspectum fuisset ingenium ad diffidendum desperandumque proclive. Sed cum me ejus patientem censuræ animadverteret, ex eaque fortasse aliquid proficientem videret, opportunum, mihique utile futurum judicavit non aliter se mecum gerere, quam quo se gessit modo. Quare ego ei hoc nomine summam habeo gratiam &, ut par est, habebo semper. Verum hac ipsa censura tantopere expetenda, cum ejus maxime indiguissem, destitutus sum. Illo enim tempore me defecit, quo, quæ latine scripseram, edere sum aggressus. Nihil enim emanare in vulgus fuissem passus, quod ipse antea non cognovisset. Sed ejus occupationes, quæ in dies magis ac magis augebantur, & vergens in senium ætas, cui molestiam creare sum veritus, tantam mihi opportunitatem eripuerunt. Si contra accidisset, certe quod edidi, castigatius, emendatiusque prodiisset.

CXVIII. Præter acrem in notando, reprehendendoque censuram, ejus in inquirendo, indagandoque singularis enituit sagacitas. Ita se commentationi dabat, ita rem, qua de agebatur, animo ambibat totam, pervadebatque penitus, ut fere, quod volebat, extenderet. Hujus sagacitatis documento exempla sunt, quæ supra attu-

limus de Julio Pogiano, de Gabriele Faerno, de Epistola S. Theresiæ. Sed nullum certius hujus ipsius sagacitatis documentum edidit, quam illud, de quo extat impressa ad Facciolatum Epistola a me in editorum Operum recensione omissa. Plura in exordio *Pisonianæ Orationis* [21] desiderari nemo ignorat, eamque acephalam esse, ut hoc vocabulo utar minus latino, sed jam communi usurpatione satis trito, ac vulgato, Tulliani enarratores consentiunt. Nam, quod ex abrupto, ut ajunt, ordiatur Cicero, inepta opinio est, meritoque rejecta. Jam quantum desit, divinare quis poterit? Divinavit, immo vero acutissime conjecit, & certissime deprehendit subtilissimus indagator noster. Asconio Pædiano usus, celeberrimo, vetustissimo Ciceronis enarratore, ab illo ingeniosissime, quantum deesset elicuit, eo usque in indagando progressus, ut certum linearum quæ desiderantur, numerum definire potuerit. Extat hac de re, ut dixi, inscripta Jacobo Facciolato Epistola, in qua de hoc invento præ ceteris placere sibi visus est, nec vero cohibere se potuit, quin ipse sibi plauderet, & gratularetur illa græcè in exordio iterans: Ευρηκα Ευρηκα.

CXIX. Nec vero non componendi implicatissimas controversias, summa dissidentium gratia, mira quadam, ac prope incredibili dexteritate valuit. Hoc jam notavimus, cum scripsimus de

controversia inter Reimarium, & Maffejum exorta, & ab eo felicissime explicata. Aliud hoc documentum, ne longum faciam, ab ejus in Pogianum enarrationibus Volumine II, *pag.* 17, petitum afferam. Agebatur de quodam plagio in re litteraria valde vituperando. Causa erat anceps, aliis aliud sentientibus, & gravissimas in utramque partem conjecturas afferentibus. Causam hanc judiciario propemodum more tractandam suscepit. Multa subtiliter, copioseque disputavit, omnia, quæ utrique parti faverent, æque fideliter, ac luculenter exposuit. Ac demum, re multum perpensa, & solerter examinata, quod difficillimum erat, disjunctissima inter se, ac prope contraria miro artificio componens, controversiam diremit, sententiamque his verbis interposuit suam. *Ita Reus defensoribus nobis cum dignitate, accusator sine ignominia, Lector veluti quidam Judex benignus atque misericors, ab hoc tamquam judicio, quod hactenus commissum est, atque exercitum, cum voluptate discedet.* Alia hujus generis, quæ singulare ejus acumen, solertiamque declarant, passim occurrunt in his ipsis, quas sæpe citavi enarrationibus, quæ quivis legere per se potest. Loca afferrem, nisi prolixa nimis essent, & definito nostri hujus Commentarii modo excluderentur.

CXX. Hac cum esset acri censura, hac præ-

stantis ingenii solertia, invidiam, & simultates aliquas, quæ fere doctis viris communes sunt, non evasit. De his inviti supra diximus, quantum. Hoc tantum addo, ita semper sibimet fuisse moderatum, ut communem causam a privata diremerit, ac separaverit; quod summopere laudandum est. Carpsit auctorem *Noctium Sarmaticarum*, sed virum ex eodem ordine doctissimum summis, & vero justis laudibus affecit. Alium, de quo plura conquesti supra fuimus, ab eo graviter lacessitus reprehendit, sed ejus ordinem, uti decebat, reveritus, quos ex ipso ordine laude dignos judicavit, meritis laudibus prosequutus est. Immo vero occasionem nactus honorifica ab eodem ordine edere monumenta non prætermisit, maximopere lætatus, quod pro illatis contumeliis hanc illi rependeret gratiam. Legatur in hanc rem, citatis ad Pogianum adnotationibus, adnotatio XI, *pag.* 175. Hac moderatione usus est Lagomarsinus, nec temere, quos separare oportuit confundens, & coacervans delectum adhibuit, atque discrimen.

CXXI. Atque hunc ego delectum & discrimen pervellem adhibuisset nobilis scriptor[32], & Historicus, cui quidem quondam plurimum favi, & perhonorificam de eo in Primo *Electricorum* meorum libro mentionem feci. Amavi tunc in illo eruditionem, cum singulari modestia conjunctam,

quæ

quæ modestia me primum coepit, cum eum Rhetor in collegio Romano auditorem habui. Sed nescio quomodo obiecta quædam impunitatis species hominem ad ea, a quibus ingenio suo abhorruisset, audenda procliviorem reddidit. Certe, quod sciam, nullam illi Societas Jesu causam præbuit, quare minus benevolum erga eam animum expromeret. Ab importata vero Societati vulgatissima calamitate, cui antea pepercerat, aut certe cautior in scribendo extiterat, animadversum est in illam aliquantum exacuisse stylum, & confidentius accessisse *ad vellendum barbam leoni*.... Adjunctum consulto prætermitto, tum quia notum est, tum quia definiri non potest, utrum hic leo adhuc vivat, an sit prorsus extinctus, sed Deus viderit, cujus causa agitur.

CXXII. Jam in hoc scriptore primum condemno, quod licentiam sibi dari vult libere, quæ velit, enunciandi. *Dolendum*, inquit, *porro nos jamdudum orbatos esse rara quorumdam temporum felicitate, ubi* (videtur rectius fuisse scribendum *quibus*) *sentire quæ velles, & quæ sentires, libere dicere licuit*. At rogo, quæ, aut quando felicia illa extiterunt tempora, quibus tanta impunitas, & dicendi, & sentiendi, licentia tanta, tamque immoderata fuerit concessa, ut propterea dolendum sit, eam nunc fuisse nobis ereptam? Atqui omni tempore, & *in dicendo*, & *in sen-*

tiendo adhibenda moderatio fuit. Parcendum semper caritati, nec temere maxime a Christiano scriptore violanda. Historico ipsi, cui major videtur indulta facultas, certi quidam præstituti sunt fines, ultra quos progredi sine piaculo non liceat. Ei quoque multa dissimulanda sunt, multa silentio premenda, nec omnia libere, ac perperam expromenda.

CXXIII. Itaque hac, quam sibi dari maximopere cupit, libertate usus, sive potius abusus, nonnullos societatis scriptores, & nominatim Joannem Baptistam Ricciolium, insignem Mathematicum, quem plurimi faciunt præstantissimi Philosophi Wolfius, & Muschembroechius, nulla habita ratione temporis, quo floruit, parum decore, atque adeo contemptim appellavit, perinde quasi in facultate nova in dies incrementa capiente, quæ postea inventa sunt, divinare debuisset, sed hæc cursim, & extra propositum. Quod ad propositum attinet, illud est, quod illiberali, ac sordida usus comparatione, Jesuitas omnes ad immundissimorum animalium conditionem abjecit, affirmans: *Uno læso veluti sues ingruere universos.* Miror hominem ingenue natum, & liberaliter educatum sese ad tantam turpitudinem demisisse, & non tam Jesuitas, quam se ipsum contaminasse. Animadvertere enim debuit, se Jesuitarum celebrasse gymnasia, eorumque

fuisse discipulum, & nominatim meum, nisi forte tunc, ut est in Veteri proverbio, *sus Minervam*.

CXXIV. Verum ne statim ab hac comparatione discedam, quid in hoc est, quod notabatur, reprehensione dignum, nisi una comparatio, qua insignis injuria Jesuitis irrogatur universis? immo vero, quid est, quod laudari non debeat propter mutuam animorum conjunctionem, atque concordiam? Præterquam quo jure, quod omnibus commune est sodalitatibus, uni fit Societati proprium, & singulare? Cædo mihi sodalitatem, in qua uno e sodalibus laeso reliqui se laesos non arbitrentur, & siquidem possint, *non ingruant universi*. Male igitur uni objicitur societati, uni probro vertitur, quod non tam commune est omnibus, quam naturæ ipsi, quæ nos inter nos colligat, atque adstringit, consentiens, & maximopere laudandum.

CXXV. Quamquam in Jesuitis est ratio quædam peculiaris, cur ita se gerant, ut invicem defendant. Sic enim hanc Societatem a reliquis abstraxit ac separavit calumnia, nihil ut in ea privatum esse velit, sed omnia contendat esse communia, quo atrocius sævire, & debachari in universam possit. Cujus quidem rei vetusta documenta quærenda non sunt, cum præsentia teneamus. Ignoscendum igitur Jesuitis, si sibi quisque timeat, & se periclitari in singulis ar-

bitretur. Cæterum per me licet, utatur libertate illa sua, quam sibi concedi tantopere cupit, acervatim in unum globum congerat Jesuitas omnes, quibuscumque velit brutis animantibus, & vel sordidioribus comparet, numquam profecto assequatur, ut me huic gregi adscriptum esse pœniteat, immo vero tantum aberit, ut id mihi probro ducam, ut etiam de hoc ipso mihi ipsi jure meritoque gloriandum putem.

CXXVI. Sed ad Lagomarsinum unum ex eodem revertamur grege, cujus ne quid, quod ad tantum virum pertineat, omittam, breviter leviora quædam ac minoris momenti indicabo, nostro hoc inclinante jam, & ad exitum properante Commentario. In magnis viris nihil reticendum historici putant. Recte id quidem, modo ad ineptias non dilabantur, quod non raro ab historicis fit. Ac de Francisco Petrarca nominatim eo usque in ejus vita progressum est, ut ne feles quidem prætérita fuerit, cujus Imago ære incisa lectoribus spectanda proponitur. Qua re nescio an quidquam putidius effici, vel excogitari ineptius potuerit. Exhiberi imaginem Lauræ illius, quam tantopere laudat, ferri potuit, cujus oris formam, tametsi non admodum præstabat ære incisam cognoscere (satis enim erat elegantissimis tanti Pœtæ descripta, & quasi depicta carminibus) utcumque tamen cognoscen-

dam exhiberi, tolerari potuit. Eumdem vero honorem haberi bestiæ ferendum nego, ac Lauræ ipsi injuriosum affirmo. Ego vero non eo usque desipiam, ut ad has ineptias deveniam, atque ea tantum persequar, quæ leviora videri potuerunt, si gravioribus cum studiis conferantur.

CXXVII. In Ortographia recte usurpanda, in qua ego cogor negligentiam accusare meam, erat diligentissimus. Ejus legibus non parebat solum, sed de iis etiam judicabat. Et vero is erat, qui has ipsas leges, quibus non ipse solum sed alii etiam, qui in scribendo accurati esse vellent, obtemperarent, posset edicere. Hoc porro studium tam leve non est, ut prima specie videri potest. Acumen enim subtile in primis requirit, intelligensque judicium. Vocabulorum investiganda notio, introspicienda natura, expetenda vis, &, unde originem ducant, longa indagine perquirendum; quod nemo nisi acuto, & subtili ingenio præditus assequitur. Cognitionem præterea utriusque linguæ, & græcæ & latinæ postulat, sine quarum excellenti notitia nihil certi definitur. Hujusce rei specimen sane luculentum habemus in suis ad Pogiani epistolas adnotationibus (vol. 1, pag. 265.) ubi multa de Vocabulo *Exhomologesis*, quomodo scribendum sit, acutissime disputat, refellit adversarium supra a nobis indicatum, Fr. Dinellium intellige?

ac multa docet, non tam ab ipso, quam a plerisque ignorata. Legenda omnino tota hæc disputatio est, ex qua intelligere licet, quanta scientia in utraque lingua, & quam recondita præstiterit, prorsus ita, ut his in rebus quantumvis minimis se magnum ostendat, ac probet.

CXXVIII. Quandoquidem de græco vocabulo sermo incidit, quid de græcis vocibus usurpandis sentiret, abs re non erit indicare. Tametsi linguam græcam probe teneret, ejusque studiosissimus esset, tamen in græcis vocabulis adhibendis parcus admodum erat, eosque damnabat, qui in iisdem inculcandis toti sunt; & recte quidem, cum lingua latina satis locuples sit, & copiosa ad quæque explicanda, expoliendaque. Quid enim tam præposterum fieri potest, quam externa consectari, cum propriis abundes? Cur peregrino te velis ostentare in auro, cum æque possis in domestico? Injuria fit vernaculæ linguæ tamquam inopi, cum ad externas confugitur. Quis græci sermonis Cicerone peritior fuit? parce tamen ipse quoque græcis vocibus utitur, & nonnisi, cum latinis destituitur necessitate adductus, quod latine scribentibus his verbis præcipit: *Eo nos*, inquit, *uti debere sermone, qui notus est nobis, ne, ut quidam græca verba inculcantes jure optimo irrideamur*. Et vero jure optimo irridendi sunt quidam, qui græcæ linguæ ignarissimi cum

sint, græcizandi finem numquam faciunt, ut mihi quidem nullum certius hujus ipsius ignorantiæ indicium sit. Neque vero istis Ciceronis ad Titum Pomponium scribentis suffragatur auctoritas. In illis enim epistolis amico se dedere voluit, qui græcarum litterarum amore mirifice captus Athenis consederat, & ab his Attici Cognomen invenerat.

CXXIX. Ut in usurpandis græcis vocibus intemperantiam reprehendebat, ita nimiam quorumdam religionem damnabat, qui ab usurpandis quibusdam vocibus ab Ecclesia quodammodo consecratis abstinendum putant. Sunt enim quidam ita male delicati, ut ab hujusmodi vocibus refugiant quam maxime, perinde quasi Orationem dehonestent, & minus latinam reddant. Sed in hoc non scientia ducuntur, sed ignoratione falluntur, non animadvertentes totam latinæ linguæ vim nequaquam in solo vocabulo esse sitam, sed ex apta cum apposito verbo coagmentatione existere, qua fit, ut aliqua minus latina vox quodammodo evadat, & latine afferatur. Hoc vitio laborat Petrus Bembus, cujus cum aliquot legis Epistolas, satis definire propemodum nequeas, utrum Gentilium, an Romanorum Pontificum nomine conscriptæ sint. Nam quis me jure damnet, si *Jesum Christum Salvatorem* malim, quam *sotera*, appellarem? Quamvis Tullii

obstare videatur auctoritas, qui Verrina 44 negat *sotera* uno exprimi latino posse vocabulo. Recte Lagomarsinus in citata enarratione: *Quidam*, inquit, *in scribendo lautitias quasdam consectantur; sed inepte faciunt, & superbe, qui sibi plus elegantiæ tribuunt, quam veritas, & res ipsa, atque hominum intelligentium acre judicium, incorruptumque* patiatur.

CXXX. Postremo hic subijciam, ne quidquam desideretur, *scrupulos* quosdam, quos ipse appellat, ex quibus conjici potest enim exquisita omnibus in rebus, quamtumvis minimis, & a plerisque aut neglectis, aut non animadversis, politissimi hominis fuerit elegantia. Hos, perscripta ad Cardinalem Quirinum epistola, quæ legitur *Vol. 4 Ep. Pogiani pag. 378*, cum eo communicat, quos non ingratos fore confido, si eosdem ego cum lectore meo communicem; quamvis ei refragari cogar. Primus scrupulus est, qui inde emersit, quod cum antea Cardinalem *Quirinum*, & se *Lagomarsinum* appellare consueverit, mutata vocabuli terminatione illum *Quirinium*, se autem *Lagomarsinium* appellet. Quare sic scribere instituerit, rationem reddidit his verbis: *Cum Superiorem*, inquit, *epistolam, postquam scripseram, a capite ad calcem, ut fieri solet, recognovissem, subiit animum meum quidam scrupulus, verentis, ne tibi duo in ipsa met inscriptione minus grata*

forte accideren̂t. Quem ego mihi ut scrupulum brevi consilii, rationisque meæ expositione eximam, quæso, permitte. Nam, si in iis hoc tempore peccavi, peccavi item, quoties latine ad te scripsi, peccaturusque posthac, nisi me de meo peccato admonueris, atque adeo coargueris, ad te quoties similiter latine scribam, esse videor. Primum, te non Quirinum, sed Quirinium appellavi, me non Lagomarsinum, sed Lagomarsinium dixi. Sequutus sum in ea re rationem, non exemplum, nec aliorum morem, sed ne meum quidem. Nam ego quoque sic, ut plerique, ne omnes dicam te Quirinum, me Lagomarsinum, similique ratione cæterarum familiarum nomina I, sive O Italice desinentia, diu solitus sum latine efferre. Venerunt postea in manus meas quatuor volumina Bartholomæi Riccii operum, Patavii anno superiore editorum (*), *in quorum primo pag.* 149 *legi pernobilem illam Riccii epistolam, sive libellum potius, Herculi Athestio inscriptum, ubi contra illam vulgi, atque adeo meam consuetudinem acriter, vereque disputat. Quid quæris? probavit statim mihi disputationem suam.* cæpique ex eo tempore ejusmodi nomina ita & appellare, & scribere, *quemadmodum ille, & appellan-*

(*) Lagomarsinus dedit hanc epistolam Florentiæ XIV Kal. dec. an. a chr. n. CIↃIↃCCXLIX.

da, & scribenda mihi plane persuaserat. Eam epistolam si forte non legisti, auctor valde tibi sum, ut legas. Placebit tibi certe hominis ingenium, elegantia, atque doctrina; & fortasse tu quoque in ejus sententiam ibis.

CXXXI. Ego vero eam epistolam neque legi, neque in eamdem sententiam facile adduci possum, ut eam. In cognominibus usurpandis aurium potius judicium quoddam, quam rationem hactenus sequutus sum, a quo quandoquidem sic institui, non existimo mihi esse recedendum. Nonnullorum enim cognominum ea ratio est, ut mutata inflexione, alia prorsus evadant, ac reipsa sunt. Exempli causa, si ego in meo *Electricorum* Opere, cum P. Carolum *Roti*, doctorem in humanioribus litteris meum, laudavi, *Rotium* appellassem, cognomen hoc Italice efferre, qui vellet, illum *non Roti*, uti appellatur, sed *Rotio* nuncuparet, quod quam longe a vera appellatione absit, nemo non videt. Aliquibus in cognominibus Lagomarsiniana terminatio mihi probatur, qua latinitate donentur. In omnibus vero id fieri posse nego, quin latinitate donati propriam quodammodo naturam exuant. Quam facile cognomina quædam extera terminationem in jus adoptant, tam ægre italica cognomina, quæ fere in *i* exeunt, suscipiunt. Itaque cum nulla adsit certa ratio, quid sequa-

mur, italica cognomina sic censeo latine efferenda, ut apta cadant, & aures non offendant.

CXXXII. Neque vero huic Lagomarsini sententiæ suffragatur antiquitas. Etenim aut volumus recentia cognomina veterum cognominibus, veteribus respondere, aut nominibus, utrum de duobus eligatur, recte exeunt in *us* prævia aliqua consonante, & non in *jus*. Quod spectat ad cognomina veterum, res est prorsus explorata. *Rufus* enim, *Secundus*, *Tacitus*, *Maximus*, & alia sexcenta Romana cognomina passim occurrunt, quæ desinunt in *us*, & non in *jus*. Quod vero attinet ad nomina: non defuerunt sane quidam, iique nec nulla doctrina, & satis in scribendo elegantes, qui putarunt nomina omnia apud antiquos in *jus* exisse, qui tamen, si diligentius attendissent, hanc opinionem antiquis monumentis, & scriptis lapidibus contrariam deprehendissent. Et ne longius faciam, in solo capite nono *antiquarum Inscriptionum* a Fabretto collectarum legitur: *Abiena*, non *Abienia*, *Annidiena*, non *Annidienia*, *Cæsena*, non *Cæsenia*, item *Atratinus* nomen, non *Atratinius*, sic *Belinus*, *Pomentinus*, & quod magis mireris *Carrinas*, & *Suffenas*, sed de maribus dumtaxat, ut dictum legatur M. *Carrinas*, Q. *Suffenas*, nam fœminæ si essent ejusdem gentis,

Carrinatia, & *Suffenatia* appellabantur, ut videre est in Epigramatis apud Fabrettum. Usque adeo in re incerta, nihil certi potest definiri, & non raro minimæ res majus, quam, ut eorum exilitas exhibere posse videatur, negotium facessunt. Quamquam Lagomarsini ita valuit auctoritas, ut ejus exemplo plurimi viri docti non alia ab ea, quam ipse in morem induxit, uti inflexione in cognominibus enunciandis instituerint.

CXXXIII. Alter scrupulus inde emersit, quod nomen suum Cardinalis nomini in inscriptione præposuerit, quo in exponendo jure carpet, ac notat consuetudinem jam vulgo receptam in fine epistolæ scriptoris nomen adscribendi, quod multo rectius veteres latini in fronte inscribebant, ut continuo quis cui scriberet, sciretur. Quamquam in hoc receptæ consuetudini, cum Italice scripsit, paruit. Ejus verba pereleganter elata, & ex eadem epistola deprompta hìc affero: *Alter*, inquit, *scrupulus est, quod obscurissimum nomen meum Illustrissimo tuo in eadem inscriptione præposuerim. Ego vero in hac re contra atque in superiore, non rationem, sed exemplum atque auctoritatem latine scribentium sequutus sum. Quando enim aliter veteres latini illi scriptores in litterarum suarum Inscriptionibus fecerunt?*

Discessit semel ab illa consuetudine Ausonius ad Paulinum scribens, sed continuo facti sui rationem, sive excusationem potius, attulit, ait enim:

Paulino Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses
Tu prior, & nomen prægredeare meum.

Dixi autem, exemplum, veterum latinorum scilicet, me in ea re, non rationem, sequutum. Sed minime dubitandum est, quin iidem illi rationem aliquam sequuti, tale nobis posteris exemplum prodiderint. Hanc autem fuisse illis, optimam sane, rationem puto, quod, cum ii, ad quos litteras damus, de nulla re priùs, ubi in eorum manus veniunt, certiores fieri malint, quam a quo datas acceperint, id ipsum legi primum atque cognosci, rectissimum illi esse judicarunt. Nos vero Itali (neque minus pleræque per Europam gentes) perversissime facimus, qui vernacula lingua scribentes, nomen nostrum non modo non primum in epistolis inscribimus, sed in infima epistolarum ora postremum adscribimus: ut, ubi perlatæ postea, apertæque fuerint, earum legendarum initium, non a principio, sed a fine facere cogantur ii, qui hominem, qui se conveniat, & quicum sibi agendum sit, scire ante omnia, & certe suo jure velint. Quæ quidem nostra non statim edendi, sed tamdiu reti-

tendi nominis in epistolis consuetudo non propterea minus perversa, atque præpostera mihi unquam videri poterit, quod recepta sit, atque usitata sic, ut, qui aliter faciat, reperiatur nemo.

CXXXIV. Atque hìc quoque nihil certi constitui potuit, ac definiri. Non Ausonius primus omnium, sed ante eum Martialis in præfatione ad librum octavum sic scripsit. *Imperatori Domitiano Cæsari Augusto Germanico, Dacico Valerius Martialis* S. Idem animadvertitur in scriptoribus Historiæ Augustæ. Primo apud Julium Capitolinum in Gordiano Tertio: *Domino filio & Augusto Misitheus Socer, & Præfectus.* Secundo apud ipsum in Maximo, & Balbino: *Pupieno & Balbino Aug. Claudius Julianus.* Tertio in Trebellio Pollione, *in Divo Claudio. Senatui P. Q. R. Claudius Princeps.* Alias similes Inscriptiones prætermitto. Ausonius ipse in prima præfatiuncula, ut eam appellat, hanc præmittit operi suo Inscriptionem, *Theodosio Augusto Ausonius.* In duobus sequentibus nomen anteponit suum: *Ausonius Syagrio suo; Ausonius latino Pacato Drepanio.* Eodem modo Martialis in præfatione ad lib. secundum: *Martialis Deciano suo;* & ad lib. decimum: *M. Val. Martialis Prisco suo.* Itaque in re dubia Justi Lipsii consilium, quod minus censuræ obnoxium videtur, amplexandum arbitror. Ad *viros doctos*,

(inquit, *in sua Epistolica* Institutione) *probos, simplices, simplicia hæc servem; ad Magnates aliter*; nec temere nomen meum præposuerim.

CXXXV. Tertius succedit scrupulus, super adhibendis Majusculis, & Minusculis litteris, quem lepide exponit, atque festive exornat in hunc modum: *Atque hactenus quidem*, (inquit) *de duobus meis in harum litterarum Inscriptione scrupulis. Est vero tertius quidam in ipsis litteris, qui me non mediocriter pungit, atque angit. Non enim, quoties in iis pronomen illud Tu, Tui, Tibi, Te, aut ex eo derivatum nomen Tuus, Tua, Tuum, usurpavi, toties, (quod est jam fere solemne) grandiorem illi litteram præfixi* sic, tu ec. tuus ec. *Deus bone! quot offendicula, ac tanquam pedicas scribentibus injicimus? quam consuetudinem iis, quorum lingua utimur, incognitam inducimus? Quis finis erit apices, litterulas, atque hujusmodi ineptias consectandi? Obsequium tibi, tuique similibus, animo primum, deinde verbis, animi sensum præferentibus, non apicibus, litterulisque significandum duco. Quod quidem si his etiam significari oportere morosi isti homines putant, non poterunt non iidem putare, graduum etiam discrimina in iis servari convenire; ut quemadmodum obsequium dignitati, sic obsequio litterarum modus ex altera parte, gradusque respondeat. Ita-*

que, si tu, cujus dignitas multis partibus major est, quam reliquorum ferme mortalium, mihi, cujus in te obsequium est dignitati tuæ par, compellandus fueris, non potero, nisi decempedalibus, aut eo etiam grandioribus quibusdam initialibus, quas vocant, litteris usus fuero, summum, atque immensum quoddam meum erga te obsequium, atque observantiam declarare. Tu vero me tui observantissimum, etiam sine decempeda existimato. Iterum vale.

CXXXVI. Hanc rationem utique rectam secutus plurimas majusculas litteras expunxit, paucas retinuit, & scribentes non mediocri sane cura, molestiaque liberavit. Mihi vero majusculæ litteræ quavis ineunte periodo probantur, & retinendas puto; sententiæ enim magis videntur discriminare. Similiter valde probo in perpetua dictione notas numerales Margini appositas, quæ Orationem gradatim procedentem distinguunt, atque, uti columnæ Milliariæ iter habentium laborem, ita hæ legentium contentionem levant. Negari tamen non potest, quin majusculæ litteræ scribenti admodum importunæ occurrant, & non leve negotium facessant. Sed in his, quod cuique commodum est, id per me faciat, licet, in quibus sita non est, ratio recte scribendi. Quavis interpunctione, Majusculis ne, an minusculis litteris quis utatur, in

exor-

exordio epistolarum, an in exitu nomen edat suum, anteponat ne illud postponat & sic de reliquis, non moror, modo latine scribat, & eleganter.

CXXXVII. Eodem referendus est mos, qui nunc invaluit scribendi *adfero* pro *affero*, *adsequor*, pro *assequor*. Hunc ego in prima quam edidi Oratione secutus, postea repudiavi, cum a Græculis libenter adscitum animadverti, quibus non magis favent antiqui Codices, quam reliquis, quæ supra adnotavimus, patrocinentur. In magnis viris aliud quiddam longe majus ac præstantius ad imitandum nobis est proponendum, si aliquam assequi laudem in scribendo velimus, contra atque imperiti factitant, qui fere ea, quæ in iis excellunt, negligunt; quæ levia sunt, & vero etiam interdum vitiosa, consectantur. Facile est, inquit Cicero, summi alicujus Oratoris, aut gestum actoris habitum, aut supplosionem pedum imitari, sed longe difficillimum elegantiam assequi, vim, gravitatem, cæterasque quibus præstitit, virtutes.

CXXXVIII. Atque ut de me dicam: Utinam, quam facile nonnulla levioris momenti in Lagomarsino notavi, tam facile ejus fuissem elegantiam in scribendo assequutus, a qua quam longe absim, nunc maxime in hoc conficiendo Commentario, ejusque verbis afferendis sensi.

Consultius utique fecissem, si ab iis exscribendis abstinuissem, ne facta contentione, quantum interesset discriminis, appareret. Sed malui qualis ego sim videri, quam qualis quantusque vir hic fuerit, minus declarari. Volui Lagomarsinum non ex meo, sed ex sermone suo æstimari, ut judicet lector, cum ei summam in scribendo elegantiam tribuerim, a me tanto viro nec veram laudem fuisse detractam, nec falsam affictam. Vere mihi videor de me affirmare posse, quæ de se Gratianus modestiæ causa affirmat: *Narro tibi*, inquit: (Vid. Vol. 4 Epis. Pogiani pag. 410) *Cum Pogiani litteras lego* (ego vero cum de Lagomarsino scribo) *ipse a scribendo deterreor; admiratione præstantis ejus facultatis. Obtineat antiquitas suam dignitatem, tribuatur Ciceroni omnium, qui latine scripserunt, principatus; sit in manibus Cæsar; legatur Terentius, Salustius, Livius iis, qui hoc ingenii decus sibi comparare student. Ego Pogianum* (sufficio Lagomarsinum) cum *his confero, aut, ab his dum discedo, qui illam locutionis integritatem* cum *lacte suxerunt, hunc habeo proximum.*

CXXXIX. Restat nunc, ut de ejus sive animi, sive corporis habitudine aliqua persequamur. Quod ad corporis habitudinem spectat, fere commoda usus est valetudine, nisi quod acrioribus interdum podagræ doloribus conflicta-

batur. Hi certe non parum ejus studia retardarunt, non ita tamen, ut ea prorsus intercipe-rent. Podagræ dolores vix remiserant, quasi pedicis quibusdam expeditus, eo liber, & alacer remeabat, ubi coactus erat insistere. Hos porro, ut a se abigeret, Auctore Josepho Bertino medico expertissimo, mercurium quem appellant, Florentiæ adhibuit. Et vero hunc expertus est salutarem, ab eoque morbo, si omnino se non expedivit, id saltem assecutus est, ut illo rarius tentaretur. Extat hac de re edita in enarrationibus suis ad Pogiani litteras (Vol. IV. pag. 435) epistola ad Bertinum italice scripta, cui se magnam habere gratiam profitetur. Huic epistolæ hæc latina subjecit, quæ hic libet afferre.

CXL. *Sed, ne quidquam dissimulem, cum post primam curationem illam totum biennium, post alteram vero totos novem annos integra valetudine fuissem usus, sic ut vel nullis, vel modicis, perque longa temporum intervalla, pedum doloribus tentarer, anno denique* 1757 *pridie Kal. Octobris die ipso natali meo, quo die annum ætatis meæ sexagesimum inibam, diri me rursus podagræ dolores corripuerunt. Quod ego incommodum, si Bertinio obtemperassem, præcipienti ab initio, ut tertio quoque, quartove anno ad remedium illud suum redirem, non dubito, quin*

facile vitare, atque effugere potuissem. Negabat enim, ullis medicinæ viribus deleri, atque extingui hunc morbum posse, immo ne expedire quidem; placatiorem fieri, arcerique ac repelli tamdiu, quamdiu itum esset illi obviam, tempestiveque occursum, posse affirmabat: quem mihi audiendum in posterum tempus omnino statueram, ut ex illius præscripto mea cum podagra depugnarem. At vero is, quo nunc (Romæ)[34] *utor medico, vir ille quidem bonus, & doctus, sed paullo fortasse timidior, adduci nondum potuit, ut me sineret Bertinianos illos globulos attingere. Ait enim, vereri se, ne, qui mihi olim Florentiæ salutares fuerunt, ii nunc in alio Cælo, aliaque ætate, noxii sunt. Ita fit, ut quorum ars ad salutem vitamque hominum est instituta; eorum opinionibus atque consiliis, & ægrotare, & mori denique debeamus.*

CXLI. Ego vero, ut concedam hujusmodi medicamento podagræ dolores mitigasse, inde tamen, ut opinor, aliud, & quidem lethale emersit incommodum, quo postremis vitæ suæ annis vexari cœpit. Nervorum enim distortionibus, contractionibusque identidem corripiebatur, & quidem ita ut exanimaretur, & tanquam mortuus in solum repente corrueret, nec nisi ægre admodum animus, qui eum defecerat, ad pristina munia poterat revocari. Usque adeo

in arte medica incerta sunt omnia, ut, dum uni morbo occurris, in alium incurras, & quam præsentem uno tempore senseris medicinam, eamdem alio lethalem experiaris.

CXLII. Multo certius ac felicius, neglecta incerta Medicorum opera, alio incommodo sane gravi obviam ivit. Nihil magis timendum erat, quam ut ne assidua Manuscriptorum Codicum lectione oculos prorsus obtunderet, & cæcitas consequeretur, qua nihil ei molestius accidere potuisset, nihil studiis suis exitialius. Huic ut occurreret, ad *Sepulchrum S. Pellegrini* [27] in Lucensium montibus situm religionis ergo profectus est. Ferunt enim quicumque eo accedunt, quam adeuntes oculorum deferunt aciem, eamdem recedentes deportare, nec reliquo vitæ tempore unquam amittere. Voto suo minime fraudatus est, & id, cujus gratia iter illud instituit, impetravit. Et sane quamvis a Codicibus numquam oculos removerit, iis tamen nihilo hebetioribus, quoad vixit, usus est, ut vitra in eorum subsidium elaborata vix, aut ne vix quidem adhibuerit. Ab hoc discrimine liberatus, quod sua prorsus intercepisset studia, vehementius ea persequi, atque urgere non destitit. Atque hæc quidem ejus corporis habitudo fuit.

CXLIII. Quod vero ad animi habitudinem, & mores attinet, ii faciles admodum erant, humani ac suaves, & prorsus ad nostram disciplinam affecti. Externorum consuetudinem refugiebat, & domestica valde delectabatur. Non se, quod nonnulli ambitione quadam studiose affectant, conveniri, vel a principibus, vel etiam a litteratis viris amabat. Suus cum suis usus erat, eo jucundior, quo familiarior. Ea officia, quæ ad conterendas horas ab otiosis hominibus instituta sunt, in primis oderat, & nihil optabat magis, quam ut intempestivi interpellatores eum sinerent sibi vivere. Suis occupationibus intentus, ac plane attentus, ne momentum quidem temporis sibi elabi vacuum patiebatur; idque vel maxime postremis vitæ suæ annis, cum illud ad absolvenda, quæ incoharat, sibi defuturum non dubitabat.

CXLIV. Comitate, urbanitate, humanitate, omnique, quæ politissimum atque ingenuum hominem decet, elegantia tantum perstitit, quantum dici vix potest. Qui a Cicerone Sermonis venustatem accepit, ab eodem etiam fonte lepores, facetiasque hausit, quibus colloquia perspergeret & condiret sua, sic, ut nemo illo esset, vel urbanitate jucundior vel festivitate conditior. Ad hos lepores illum propemodum natura labo-

rarat, quos si a natura ipsa non habeas, & aliunde assumas, auctore Tullio, insulsus sis, & inepti notam non effugias. His animos omnium sibi devinciebat, & gravitatem, quam ore præferebat, temperabat. His in familiari consuetudine, cum tempus posceret, & relaxandus esset animus, utebatur.

CXLV. Nec vero non hos ex Ciceronis præscripto, qui illos intra artis oratoriæ præcepta conclusit (de Orat. lib. 2, n. 56) adhibuit, cum alicujus comprimendus esset fastus, & arrogantia dictis compescenda magis, quam contentione frangenda videretur. Modum tamen in hoc ipso tenuit, & memor generis, atque institutionis suæ numquam se ad *illiberales ac sordidas*, *non facetias*, sed contumelias abjecit. Semper enim ob oculos habuit, quid a se liberale genus, ac natalium splendor, & vero etiam in primis institutæ vitæ rationes postularent. Contra, atque in nonnullis animadvertas, qui se temperare nesciunt, & verbis ipsis aut illiberale genus & consentaneam illi institutionem satis aperte produnt, aut pravitatem ingenii, quæ & generis, & institutionis liberalitati oblucatur. Hoc maxime præcavit Lagomarsinus, qui sic facetius erat, ac leporibus affluens, ut dignitatem in hoc ipso ac decorum servaret, & per-

sonis, tempori, ac loco accommodatis odiosam dicacis notam effugerit.

CXLVI. Sincero præterea, atque aperto animo fuit. Nihil in eo duplex, nihil simulatum, sed quod clausum habebat in animo hoc item promptum habebat in ore. Liberalitatis etiam laude commendabatur pro facultatis modo. Hospites, si quis adventabat, primus adibat, eosque peramanter in cubiculum suum invitatos usitata potione excipiebat. In cultu corporis mundus quidem, sed citra exquisitam munditiem, quæ religiosum hominem máxime dedecet. Cubiculi supellex minime lauta ac curiosa, unus illud librorum instructus, non ad inanem ostentationem, sed ad quotidianum usum ornabat. Nemini justam offensionis causam præbuit, &, si quos habuit laudis suæ aut obtrectatores, aut invidos, patienter tulit, &, quibus potuit, modis lenire studuit. Ex his unum nominatim, qui se læsum ab ipso falso existimabat, placare omnimodis conatus est usque eo, ut illum etiam convenerit, & jurejurando affirmarit, se nunquam de eo lædendo cogitasse. Sed irrito conatu; responsum enim tulit: *Pueros capi nucibus, homines juramentis*: Adeo falsa opinio in abalienato animo insederat, & viro gravissima, & affirmanti, & juranti fidem derogare non dubi-

taverit. Verum ut hic vituperandus, sic laudandus Lagomarsinus, qui nihil omisit, quo ille rediret in gratiam.

CXLVII. Ab ingrati animi vitio, *in quo nihil mali*, ut recte Tullius, *non inest* (*Ad Att. lib.* 8, *ep.* 4) quam maxime abhorrebat. Gratus igitur si quis unquam minimis vel beneficiis capiebatur, & afficiebatur sic, ut non de referenda solum, sed etiam juxta Hesiodium illud, si posset, de rependenda cumulatius gratia cogitaret. In amicitia sanctissime colenda, ut in cæteris rebus, diligentissimus, ac plane religiosus fuit. Amicos officiis omnibus prosequebatur; sed eamdem ab amicis officiosam sibi vicem nequaquam reddi ægre admodum ferebat. His operam suam, quacumque re posset, libenter impendit, & quidem in cognoscendis, emendandisque eorum scriptis, quantum per ejus occupationes licuit, non gravi sine molestia, accommodavit. Mihi vero, quod hoc in genere præstitit, summi in beneficii loco pono, nec oratione consequi valeo, nec habenda gratia assequi unquam potero. Quamquam postremis vitæ suæ annis hi beneficentiæ fontes, quos ad aliorum commodum derivari antea passus erat, inclusi sunt, ut ne mihi quidem ipsi, quod supra animadverti, patuerint. Hoc autem non ejus ingenio, quod asperius evasisset, aut morosius,

ut in senibus usuvenire solet, adscribendum fuit, sed occupationibus, quæ eum obsederant, in hasque hominem ad cuique gratificandum paratissimum conjecerant angustias, tribuendum.

CXLVIII. Quod raro admodum in magnis, litteratisque viris miramur, ab omni fastu, arrogantiaque alienissimus fuit. Numquam ego eum sua prædicantem & magnificentius extollentem audivi. Scripsi *nunquam*, ut hoc testimonium veritati non abnuam, quo nullum ab ullo certius proferri potest. Ego enim familiari, & quotidiana ejus consuetudine utebar, apud quem, si quid hujusmodi de se prædicasset, & amicitiæ, & familiaritati fuisset concedendum. Itaque de se modeste admodum, ac moderate sentiebat, de suisque studiis, nisi provocatus, non inferebat sermonem, & qui plurima sciret, scire se aliquid dissimulabat, ut magis ex suis scriptis, & nominis fama, quam ex sermone, qualis, quantusque vir esset, agnosceretur. Immo vero scripta sua alieno nomine, quod mihi non raro significavit, edi libenter tulisset, dummodo Societatis Jesu nomen fuisset adscriptum. Usque adeo amabat latere, neque se ullis instructum copiis, & opibus ad fastum quemdam, atque inanem speciem ostentabat. Quæ modestia eo admirabilior judicari debet, quo majori cum doctrina copulabatur.

CXLIX. Religiosæ porro ejus virtutes non certe mediocres, nec vulgares fuerunt. His se germanum ejus ordinis alumnum probavit, qui semper doctrinæ præstantiam cum religionis studio conjunxit. Eminuit in eo, ut demonstravimus, singularis amor erga Societatem, quod pietatis fuit, quæ Principes inter virtutes obtinet locum. Hanc adamavit, hanc dilexit tamquam parentem, cui suam debebat cum in litteris, tum in bonis moribus, jam inde ab adolescentia, institutionem. Ejus fama, atque existimatione tangebatur plurimum, eamque in oculis gerebat, & oculis ipsis cariorem habebat. Quare cum privatam Sociorum, tum Societatis communem causam, quantum potuit, tutari, ut diximus, non prætermisit. Plurima in ejus enarrationibus ad epistolas Pogiani occurrunt loca, quibus Societatis, Sociorumque causa suscipitur, ac defenditur. Multa quoque reliquit scripta ad eamdem causam pertinentia. Nihil ei accidere poterat gratius, atque jucundius, quam cum litteræ afferebantur, quibus aliquid ad Dei gloriam, & Catholicæ Religionis incrementum a sodalibus præclare gestum significaretur. Has, & avidissime legebat, &, si quidem earum authographum habere non poterat, excribendas curabat. Quarum litterarum aliquot volumina con-

fecit ad harum rerum conservandam, prodendamque memoriam.

CL. Uti vero Societatis successibus secundis, & prosperis mirum in modum lætabatur, ita tristibus, & adversis supra quam dici potest, afflictabatur. Vidi ego illum sæpe lacrimas ubertim effundentem, & Sociorum vicem dura quæque, & aspera postremis hisce calamitosissimis Societati temporibus tolerantium miserantem. Neque vero ego illum in communi luctu consolari poteram, eodem commiserationis sensu affectus, vehementerque commotus. Una erat, quæ esse debebat amborum consolatio. Quæ acciderent, æque occulto, ac justo Dei judicio evenire, ejusque judiciis, ea, qua par erat, animi æquitate acquiescere. Nam quid faceres in tanta temporum acerbitate, & atrocitate, ut, quo te verterer, ignorares, nisi ad unum illum Deum unde in calamitatibus solatium venit, & qui *consolatur nos in omni tribulatione nostra?*

CLI. Res autem feliciter ubique terrarum a Sodalibus gestas mandari litteris ab externis, quam a domesticis malebat, quod plus in iis auctoritatis inesset, & longius abessent a suspicione, aut eminentia, aut exaggeratæ veritatis. Quo nomine summam habuit gratiam Ludovico Antonio Muratorio, Scriptori clarissimo, qui

res a Sociis in Paraquaria gestas luculento volumine complexus est, quod edidit *Venetiis* anno 1743, & scripsit: *Il Cristianesimo felice nelle Missioni de' Padri della Compagnia di Gesù nel Paraguai*, sane dignum, qui semel, iterum, tertio, eo sæpius legatur, ob dignitatem Auctoris, cognitionem Regionum, & splendorem rei ad Dei cultum, & animarum salutem gestarum. Apud hunc institit, quantum potuit, ut institutam Scriptionem persequeretur, necessaria ei monumenta suppeditaturus. Sed id obtinere non valuit, quod quidem impetrasset, nisi illum alio aliæ jam inchoatæ lucubrationes avocassent.

CLII. Indicata de causa adnisus est, ut veterem morem revocaret vulgandi litteras, quæ propterea appellatæ sunt *annuæ*, quod, quæ singulis annis ad Dei gloriam a Sociis gerebantur, complectabantur, & illæ quidem ab egregiis olim, doctisque viris latina lingua scriptæ elegantissime. Huic operi inter alios operam suam præstitit Q. Marius Corradus Neapolitanus, insignis doctrinæ, & politissimæ latinitatis vir, & quod maximi faciendum est, probitatis singularis: libentissime operosam hanc provinciam suscepit. Captus enim fuerat rebus ipsis, de quibus scribendum erat, illustribus, ac plane dignis, quæ posterorum memoriæ latino Sermone

proderentur. Hoc ipsum ipse in nobili illa, quam habuit, & edidit ad Concilii Salernitani Patres Oratione diserte affirmavit his verbis: *Ignoscite, vos oro, Pontifices, nec tamen vobis detractum putetis aliquid, si quam aliis laudem tribuo. Illi rectissimi mihi videntur, Patres amplissimi, illi de Sanguine, & morte Christi sentire homines Jesuitæ, qui, cum imperio, & armis nihil possint, inermes tamen armatos Indiæ populos quotidie adoriuntur; animo tantum valent, & laboribus, & morte, qua plurimos Stephanos, plurimos Laurentios, atque Ignatios, immo etiam Paulos, Thomas, & Bartholomæos hac ætate nobis reddidere.* Hæc leguntur apud Lagomarsinum in suis enarrationibus ad Vol. 4 epist. Pogiani pag. 69 ex ipsa Q. Marii Corradi Oratione excerpta.

CLIII. Et vero operam ipse suam, ut Societatis decebat alumnum, in his, quæ ad Dei gloriam, & animorum salutem pertinebant, conferre non renuebat. Quamdiu Florentiæ Hispanorum copiæ constiterunt, tamdiu ad eas Hispanica lingua, quam callebat optime, conciones habuit, militumque confessiones excipere non omisit. Quam vero operam interdum suis occupationibus prohibitus impendere non poterat, socios, qui suas vices gererent, non sine dispendio sufficiendos curabat. Atque uni quidem

ex his annum integrum, quotidianam, qua utimur, potionem ad nutum præstitit, quo expeditius ad intermissa sacra munia redire posset. Generatim, quantum per ejus studia licuit, nunquam in partem Communium laborum ad Dei gloriam spectantium venire recusavit. Non enim quorumdam litteratorum vitio laborabat, qui hujusmodi munia tanquam humilia, & minus splendida, superbo quodam fastu ac supercilio, despuunt, atque contemnunt, sed eorum pretium probe norat, & semper, ut merita sunt, cuique, aut ingenii, aut doctrinæ ornamento ponenda existimavit.

CLIV. Quotidie, nisi valetudine impediretur, divinum Sacrificium obtulit, quod certe non vulgaris pietatis indicium fuit, facile enim ab homine litterato, & occupatissimo, qui nihil ex eo perciperet emolumenti, omitti poterat. Eodem spectant reliqua pietatis officia, quæ diligentissime obibat. Cum prodibat domo iter potius ad religionem, quam ad necessarium animi, & corporis levamentum susceptum videri poterat. Mecum enim Sacras Urbis Basilicas celebrabat, quarum aspectu, & vetustate plurimum capiebatur. Existimabat enim, & merito quidem, nescio quid in illis priscæ religionis inesse, quod inusitato quidem sensu afficeret animos, in eosque salubriter illaberetur. Tem-

pla Divinæ Matri consecrata libenter, & frequenter mecum adibat, atque ex his multo libentius, ac frequentius illud, quod in Exquiliis Deiparæ Virgini constitutum, celeberrimo nivis prodigio nobilitatur, & Christi Domini incunabulis insignitur. Ad ædesque extra Urbem positas, atque ab ipsa Urbe maxime disjunctas alacriter pergere non sine incommodo renuebat. Qua in re non tam mihi gratificabatur, quam suo religionis studio obsequebatur.

CLV. Princeps virtutum Charitas in eo maxime eminuit. Inopum egestate summopere commovebatur. De eorum incommodis, & rei domesticæ angustiis mecum perinde loqui solitus erat, quasi iisdem ipse incommodis afficeretur, & coarctaretur angustiis. Quare quos egentes in via habebat obvios, fere omnes tenui aliqua impertita stipe recreabat, nec memini quemquam facile ab eo inanem fuisse dimissum, ac vacuum. Neque vero his solum, quos casus tulerat obvios, erogatis nummulis aliquod afferre levamen consuevit, sed submisso largioris pecuniæ subsidio honestiorum pauperum verecundiæ pepercit, & inopiæ consuluit. Mercatori cuidam Genuensi, qui mercibus omnibus, facto naufragio amissis ad summam redactus fuerat egestatem, suppeditata quotannis certa haud exiguæ pecuniæ summa, quoad ille vixit, non

mediocri solatio, atque adjumento in accepta calamitate fuit. Aliam item hujusmodi non tenuem summam honestissimis puellis identidem submittere solitus erat, earum vicem miseratus, quippe quæ fratris subsidio, qui Societati nomen dederat destitutæ, illo emolumento caruerant, quod certe ab ejus eximia ingenii facultate, ac doctrina singulari ad vitæ commoda percepissent. Comprehendam paucis. Quidquid propemodum ei a necessario in librarios, & typographos dispendio reliqui fiebat, hoc in egentium levamen impendebatur, ut ego mirarer, unde ei tanta pecunia suppeteret. Sed admirationem parsimonia sustulit, quam in rebus ad usum proprium spectantibus adhibebat.

CLVI. A communis disciplinæ vinculis, quantumvis arctis, se nunquam exemit; domesticis consuetudinibus servivit, nec ab iis facile unquam recessit. Nihil singulare sibi arrogavit, quod non reliquis sodalibus, pro instituti ratione, præberetur. Victu, & vestitu communi contentus fuit. In victu sobrius, & temperatus; sitim frigida fere extinxit. Nunquam eum de dapibus, quæ mensæ apponebantur, conquerentem audivi, cujus tandemcumque generis essent; nunquam de condimentis, quæ gulæ irritamenta sunt minus sapidis. Quæ moderatio satis indicabat ei alium suppetere cibum, quo

mens utilius, & jucundius quovis epulari convivio aleretur. Moderatores reverebatur quam maxime, ab eorumque nutu pendebat. Hæc reverentia usque eo processerat, ut illos adire verecundaretur, & si quando aliquid ab ipsis sibi opus esset, aut scripto mandaret, aut me interprete uteretur.

CLVII. Incommoda, quæ a senectute, summum ipsa incommodum, sejungi vix possunt, moderate tulit. Devexa jam ætate pertinacissima tussi vexatus est; importunis obnoxius vigiliis fuit, quibus magnam noctis partem traducere cogebatur insomnem. Has, aliasque hujusmodi graves molestias patienter non toleravit solum, sed etiam, quoad ferri poterant, dissimulavit, ne aliis gravis esset. Quare si quid ego præter solitum incidisse animadverterem, mihi ipsi Præsides erant adeundi, de ejus valetudine edocendi, evocandus Medicus, quo, ipsorum concessu, utebatur, rogandi valetudinarii, ut ejus curam susciperent, neque ullum officium homini meritissimo, qui nullum unquam ab se erga omnes desiderari officium passus erat, deesse paterentur.

CLVIII. His sanctissimis moribus, & religiosissimæ, quam descripsimus, vitæ ratione constantissime retenta, ad septuagesimum quartum ætatis suæ pervenit annum, ut mirandum

sit, ad hoc usque tempus vitam propagasse, quo multo ante propter nimiam contentionem privari debuisset. Hæc enim corpus male affectum, ac prope confectum tradidit senectuti, & causa fuit, cur vitam ulterius, quam pro habitudine corporis poterat non protraxerit. Quare affici incommodis multo gravioribus cœpit, quibus se prorsus expedire non valuit. Morbos, quibus tentari solitus fuerat, sic pertinaciter visceribus hærentes experiebatur, ut eos mitigare quidem aliquantum, sed omnino a se depellere amplius non potuit. Vires languescebant quotidie magis, & eum multo frequentius, quam antea, spiritus deficiebat. His de causis facile sibi persuasit supremum instare finem, cujus haud dubiam intus edi significationem sentiebat. Ipse vero divinæ acquiescere assuetus voluntati (unum in hac vita ægritudine, & incerto exitu solatium) non tristabatur. Hac se nimirum cogitatione vir probus, ac religiosus sustentat, ut adventantem mortem non modo non reformidet, sed etiam lætus excipiat. Contra, atque in nonnullis animadvertitur, qui vel conclamata valetudine nimia vivendi cupiditate usque adeo insaniunt, ut cum instanti lætho, quod ineluctabile est, luctari propemodum videantur. Ab hac insania longe abfuit Lagomarsinus,

quem conscientia recte factorum satis alacrem ac paratum ad mortem obeundam effecerat.

CLIX. His, quæ enumeravimus incommodis per se gravibus, aliud multo gravissimum accessit, atque ex improviso emersit, qui eum in summum vitæ discrimen adduxit. Correptus enim morbo fuit, quem Græco vocabulo *Disuriam* appellant. Evocatus statim Hieronymus Lapius, medicinæ scientissimus, quo, ut dixi, & Medico, & amico utebatur, cujus opem non semel præsentem fuerat expertus. Lapius nec sibi, nec amico defuit, nec remedium ullum, quod ex artis præscripto ægrotantem juvare posset, prætermisit. Sed ea vis morbi, seu potius plurium morborum, facto velut agmine, quod usuvenire solet, irruentium vis fuit, quæ omnem medicam artem vicit, & remedia omnia inania, & cassa reddidit. Itaque desperata valetudine ad divinam opem implorandam, & vitam illam propter quam unam nasci præstat, in tuto collocandam cogitata omnia sua, curasque convertit.

CLX. Huic igitur uni intentus curæ, & in hac una mente, animoque defixus sæpius conscientiam expiavit suam, & Sacramenta omnia, quibus Christiano ritu procurari morientes solent, summa religione suscepit. His actis supremam horam, ærumnarum finem, & sempi-

ternæ felicitatis initium pacate ac tranquille præstolatus est. Quamquam erat summis totius corporis afflictatus doloribus, nunquam tamen de iis conqueri auditus est, & si quam doloris significationem doloris ipsius acerbitas elicuit, hanc divinæ voluntati de se ita statuenti prorsus consentaneam exprompsit. Si quando delirio caperetur, cum vel maxime perspicitur, quæ quisve sanus mente agitare consuevit, nullum edidit, nisi pietatis, ac religionis indicium. *Litanias*, quas vocant, B. Mariæ V., & græce, & latine pronunciabat, quæ res satis docuit, quanta pietate divinam fuerit Matrem prosecutus. Illud vero non reticendum, sed prædicandum est, & prorsus singulare. Qua in Societatem pietate fuit, cum semper ostendit, tum vel maxime, cum e vita ei discedendum esset, idipsum ostensum voluit sic, ut neque expressius, neque apertius ab eo potuerit declarari. Etenim sub ipsum obitum sui compos, summa contentione, & vocis, & animi, sic, ut ab adstantibus audiretur, affirmavit: *Gaudere se vehementer, quod in Societate Jesu moreretur*. Quæ testificatio, & si Sociis omnibus in extremo discrimine constitutis usitata est, multo tamen significatior in Lagomarsino haberi debuit, quippe quæ eo tempore ab illo edita,

quo de summa Societatis pernicie agebatur, cui honorificum hoc ab se testimonium, antequam e vita migraret, desiderari minime passus est. Hoc satis videri potuit; sed homini religiosissimo, & Societatis amantissimo minime visum est satis. Illa enim multo præclarior, & significantior, quæ prope suprema morientis vox fuit, cum multo expressius, atque asseverantius subjecit, iteravitque: *Et gaudium meum nemo tollet a me*: Vivere desiit XV Kal. Junias anno 1773 annos natus 74, tres ante menses, quam de nobis statueretur, & lacrimabile illud de universa Societate Jesu ferretur edictum.

CLXI. Mortem ejus quotquot illum norant, & mirifice ejus doctrina, atque humanitate capti fuerant, ægre tulerunt. Tantam jacturam in primis & sensit & luxit Collegium Romanum, quod amisso doctissimo, & religiosissimo viro insigni ornamento orbatum fuit. Elatus est usitata, & Sodalibus omnibus communi, hoc est, prope nulla pompa funeris, & in Patrum, ac Fratrum Sepulcro tumulatus. Si quis ejus oris, & corporis formam amet agnoscere, fuit ore gravi, & plane apposito ad dignitatem, cui adjuncta erat comitatis illecebra quædam, quæ gravitatem temperabat, & ei omnium conciliabat benevolentiam. Fuit præterea statura justa,

lato pectore, & humeris, sed his postremis præsertim annis ob senium, & quod continenter Scriptoriæ mensæ incubuerat, curvis admodum, & in anteriorem partem inclinatis; toto autem corpore paullo pinguior, excepta manuum digitorumque exilitate, quorum articuli ad Calamum sine intermissione, ac defatigatione tractandum a natura fabrefacti promemodum videbantur. Quod vero præcipue spectari in eo debet, & quod posteritati nunquam non commendabitur, ornamenta sunt animi, quibus effectum est, ut, dum vixit, propter suavissimos mores omnibus fuerit apprime carus, propter excellentem doctrinam a doctissimis viris eximie cultus, propter edita ingenii monumenta plane dignus, cujus memoria post obitum nunquam intercidat, perpetuo efflorescat fama, & nomen tamdiu vigeat, quamdiu humanioribus litteris, & bonis artibus honos habebitur.

CLXII. Extat ejus imago ære Florentiæ incisa, quæ illum ad vivum representat. Exhibet sedentem ad pluteum, & manu pervoluntatem volumina Ciceronis; e regione Ciceronis ipsius expressa humero tenus conspicitur effigies: Imagini subjectum hoc legitur disticon;

Hic Lagomarsinus vultu. Sed pingere vocem
Si liceat, quivis dixerit, est Cicero.

Alia item ejus Imago extat in Collegio Romano cum hac inscriptione:

> *Hieronymus Lagomarsinus Genuensis Amore in Societatem, indulgentia in egentes, comitate in omnes singulari. Obiit Anno Christi* 1773 *Ætat.* 74. *Mens. VII. Huic latinæ litteræ plurimum debent.*

Aliam inscriptionem longe nobiliorem ego præterea ei meo nomine ab Antonio Morcello, Sodali Communi, & hoc in genere præstantissimo pangendam curavi, quam subjicio.

MEMORIAE
HIERONYMI. LUD. F. LAGOMARSINI
GENUATIS
VIRI. CLARISSIMI
CUI. LATINAE. LITTERAE
PLURIMUM. DEBENT
HIC. NATUS. GADIBUS. INSTITUTUS. PRATI
NOMEN. SOCIETATI. JESU. ADOLESCENS. DEDIT
RHETORICAM. FLORENTIAE
GRAECAS. LITTERAS. ROMAE. DOCUIT
SCRIPTORUM. LATINORUM.
SUI. TEMPORIS. PRIMUS. HABITUS. EST
IDEM. FRUGI. HONESTUS. COMIS.
PIETATEM. IMPENSE. COLUIT.
SODALES. MIRE. AMAVIT. SUOS.
EGENORUM. SOLATOR. ALTOR. FUIT
VIX. ANN. LXXIV. M. VII.
DIEM. SUUM. FUNCTUS. IN URBE
XV. KAL. JUN.
ANNO M. DCC. LXXIII.
JOS. MARIANUS. PARTHENUS. FECIT
SODALI. ET. AMICO. B. M.

Extat hæc inscriptio, & legitur inter reliquas, quas ab se ad Veterum Inscriptionum normam compositas ipse Morcellus edidit Romæ An. 1783 p. 112.

CLXIII. Ego vero, quam de eo effigiem, quam similem expresserim, vel saltem adumbrarim saltem, ignoro. Illam enim, quam animo, & cogitatione jam inde ab eo tempore inchoaram, quo illum habere cœpi contubernalem, & quam subinde, diuturna consuetudine, legendisque ejus scriptis, novorum accessione, expressiorumque lineamentorum maximopere auxi, fateor, me verbis, & oratione assequi, ut conatus fuerim, non potuisse. Non ideo tamen, si hæc, quam exhibeo, ad illius perfectam similitudinem adducta non est, mihi jure succensendum, sed ignoscendum potius. Egregiarum enim formarum, quam facile speciem animo fingimus, & intuemur, tam difficulter reipsa exprimimus, aliisque cernenda proponimus. Hoc vel in magnis artificibus animadvertere est, quorum cum pulcherrimas formas aspicimus, cogitare debemus, majus quiddam illos vidisse animo, quam quod oculis intuentium objiciant. Mihi vero, qui ab eorum excellentia quam longissime absum, quid evenire debuit, me tacente, Lector ipse perspiciet. Quamquam, quo valde consoler, & causam meam non mediocriter sublevem, illud est, quod, & Lagomarsinus de se, & ego de eo scribens idipsum præcavimus. Nam si ille nihil, ut de Socrate memoriæ proditum est, qui nullam re-

liquit litteram, scriptum, atque editum reliquisset, esset profecto, cur reprehenderer, quod tantam speciem dehonestarim, ac longe dissimillimam exhibuerim. Verum, cum multa scripserit, atque ediderit, ex iis, qualis reipsa fuit, facile agnosci potest. Ego vero plures dedita opera ejus orationis particulas Commentario huic meo, tamquam gemmas, illigavi, non solum ut, quod pretium ex se non habet, acquireret, sed etiam, ut ex iis vera ejus cerni posset effigies, non tam meis, quam sui ipsius depicta coloribus. Non dubito, quin plurimum ad hanc ipsam effigiem absolutius exprimendam consuluissent, tanquam extrema quædam lineamenta, doctorum virorum testimonia. Verum, cum ea, quæ ad manum habui, jam attulerim, reliqua, quæ turbo sustulit, ac dissipavit, nemo, opinor, a me requiret.

CLXIV. Nunc, ut ad te revertar, carissime Frater, & te postremum adloquar, cujus potissimum rogatu hæc instituta a me, & ad exitum utcumque perducta scriptio fuit, video, ac plane sentio rem multo difficiliorem, quam fueram ab initio suspicatus, suscepisse. Sed quid facerem? Roganti, quod postulabas, negare non potui. Video præterea, si Commentarius edi contingat, me in existimantium arbi-

trium, judiciumque venturum. Sed de hoc minus laboro. Sentiant de me docti viri, & loquantur, quid velint; nemini sententiam libere expromendi suam facultatem adimo. Mihi sat erit extare hoc qualecumque sit, quod tibi scripsi, & tibi inscripsi, extare, inquam, & in perenne fraternæ nostræ charitatis documentum, & in perpetuum mei erga virum de me insigniter meritum grati, ac memoris animi monumentum.

CLXV. Hic jam re, si minus perfecta, saltem utcumque confecta, non dubito, quin a me postremo quæsiturus sis, quemadmodum carissimi, mihique amicissimi viri obitum tulerim. Rem iterum difficilem postulas, & anceps animi, pendensque sum, utrum loqui præstet, an silere. Silentium nonnulla videntur suadere, sed quoniam hæc ipsa vulgata jam sunt, & omnium jactata sermonibus, eadem iterare nulla opinor religio vetabit. Loquar igitur, & sensus, quos habeo clausos in pectore, expromam meos. Vincet amor, vincet pietas, & amico ac sodali extincto, novum hoc amicitiæ, ac pietatis officium persolvam. Qui illum ab juventute summopere colui, qui eum singulariter dilexi, qui cum fere semper conjunctissime vixi, cui tot nominibus obstrictus fui, quot necesse est

esse ei, a quo quidquid in litteris profecit, referre debet acceptum, si negem me illius mortem ægerrime tulisse, & funus lacrymis prosequutum esse, mentiar. Si vero affirmem, in summa animi ægritudine omni me prorsus caruisse solatio, quod mœrorem meum si non abstergeret omnino, at aliqua saltem ex parte mitigaret, minus verax sim. Sic enim fere comparatum est, quod nullum malum sit, quod aliquid boni adjunctum non habeat. Humanas nimirum hoc modo divina temperante Providentia vicissitudines, ne, iis alternantibus, aut nimis extollamur secundis, aut ne præter modum abjiciamur, & frangamur adversis.

CLXVI. Fuit igitur, cur in hominis mihi carissimi, & amicissimi obitu consolarer, desiderio modum imponerem, illudque lenimen caperem, quod Christiana in primis Religio, &, quæ paulo post acciderunt adversa, suppeditarunt. Nam præterquamquod ex hoc nequam, ac pestifero sæculo emigravit, & illo commigravit, ubi tantummodo esse præstat, eo tempore ex hac vita discessit, quo emori potius expetendum erat, quam vivere, ut non tam nobis ademptus, quam ex funestissimis casibus, qui, vix ipso extincto, consecuti sunt, totamque affecerunt Societatem, divino ereptus fuis-

se consilio videatur. Non enim acerbissimum illud recitari sibi Edictum audivit, quo vel audito certe cohorruisset, & eum fortasse dolor exanimasset. Non vidit Societatem illam, in qua doctrina, atque eruditione floruit, quam tanto studio propugnavit, quam vita ipsa chariorem habuit, uno impetu repente perculsam, atque prostratam. Non vidit Carissimos Fratres in gravissima ærumna constitutos, tristes, afflictos, mœrentes, ab avitis sedibus, ac domiciliis expulsos, ejectos, exterminatos. Non aspexit eorum aliquot captatos in vincula, in carceremque detrusos, quorum eo miserabilius infortunium fuit, quo ampliori dignitate præstabant, quæ ad omnium famam, existimationemque spectaret. Non interfuit communi luctui, non mœrori publico, non lacrimis bonorum omnium tantam calamitatem ægerrime ferentium, & nobiscum una tantam cladem, excidiumque lamentantium. Non luxit denique, quæ præcipua tantæ calamitatis pars est, & nunquam satis deploranda, gravissimum Religioni Catholicæ inflictum vulnus, importatumque detrimentum, aut nullo modo, aut nonnisi difficillime reparandum.

CLXVII. Quid? quod si vixisset, & ei ad tres tantum menses vita suppeditasset, tam lu-

ctuosæ tragædiæ non spectator solum, sed etiam actor extitisset? Non enim pro suo in Societatem studio, quam sæpe defenderat, cujus gratia ejus adversariorum invidiam subjerat, & odium in se concitarat, tantum discrimen evasisset; cujus ad me quoque pro mea cum illo familiaritate, & quotidiana consuetudine pars fortasse aliqua pertinuisset. Quare hæc non tam ego, quam omnes, qui tantæ calamitati, infortunioque nostro superstites fuimus, hæc inquam cogitantes, & nobiscum ipsi animo revolventes, est profecto, cur nos infelices atque ærumnosi existimemur, ipsum felicem ac beatum reputemus. Sic igitur, ejus interitum, ne nostra potius, quam sua causa dolere videamur, lugeamus, ut tantam mortis opportunitatem allatam a Deo homini meritissimo, ac donatam gratulemur. Illum enim ante vita privavit, quam turbulentissimæ tempestatis vis ad communem perniciem tota erumperet, ne, quod illi vel accidere posse cogitanti acerbum erat, sensu ipso, si vixisset, multo futurum esset acerbissimum.

CLXVIII. Verum, quos ipse miserabiles casus feliciter evasit, non æque ejus ingenii monumenta evadere feliciter potuerunt. Video hoc non admodum valere ad augendam calamitatem, & in summæ totius amissione de exiguæ partis

jactura non esse magnopere laborandum. Sed cum hoc ipsum ad eum, de quo scribo, pertineat, non existimavi omnino esse ab historico prætermittendum. Et sanè, quis unquam existimasset tantos labores fuisse nequidquam susceptos? tantas contentiones cassas futuras? tantas tantorum operum molitiones casuras in nihilum? Ipse certe nequaquam aliquid hujusmodi cogitavit, qui, dum vixit, non labori, non curis, non sedulitati, non assiduitati pepercit, & tam multa, tam varia, tamque præclara, tanto studio, diligentiaque collegit. Mihi verò similiter, qui curarum ejus conscius ac vigiliarum testis fui, ne in mentem quidem venisset, tale quiddam eventurum suspicari.

CLXIX. Atque præter expectationem, id ipsum lautam litterariam supellectilem, tam exaggeratam, tam incredibilem, tantam Codicum partim ab ipso scriptorum, partim excriptotum copiam, tam multa in omni politioris litteraturæ genere ad Sodalium usum, commodumque seposita, tot opes, auro gemmisque pretiosiores, tot annis, ac tanto dispendio comparatas, tot denique, ac tam egregia ingenii monumenta, quis credat? una voluntas, unum edictum, una nox perdidit, absumpsit, dissipavit.

CLXX. O fallaces nostras spes! o vota inania!

nia! o vim humanarum vicissitudinum! cui resisti non potest, quæ cogitata omnia disturbat, quæ incæpta omnia ante pervenit, quam optatum ad exitum perducantur. En, qui litteris, ac doctrinæ operam damus, cur tot laboribus frangamur; en cur tot contentionibus debilitemur; en cur tanto studio conteramur, cur tanta in posterum machinemur, atque moliamur, quando cuncta in nihilum recidunt, ac dilabuntur. Quid ni igitur salutare hinc documentum sumimus hæc tanti facere, quanti merentur, fluxa, & caduca mansuris ac sempiternis? Quid ni saltem hinc discimus, quandoquidem sic interdum inita vitæ ratio postulat, ut ab hujusmodi studiis vacare omnino non possimus, sic illa dirigere, ut unum ad Deum, ejusque unius gloriam referantur? Non hoc idcirco dico, quod eo sua Lagomarsinus studia non retulerit, de quo recte, ac pie instituta, ac peracta vita dubitare non sinit; sed quia non raro fit, nisi caveamus, ut vana quadam relinquendæ post obitum famæ, atque existimationis specie capti, & nescio quam nominis immortalitatem somniantes alio, quam, quo oportet, susceptæ a nobis curæ tendant, & contentiones evadant.

CLXXI. Sed tandem aliquando conquestioni modus adsit. Quæ acciderunt æquo animo, &

patienter feramus. Dispersi sumus, palantes exules, distracti, abjecti, afflicti, aversa bona, amissa domicilia, hæreditas conversa ad alienos, omnia denique ferale hausit, exorbuitque naufragium. Quid nos ad hæc? qui sensus erunt nostri? nisi illi, qui nobis in Sancto Job ad imitandum proponuntur: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*, & *si bona Dei recipimus, quare mala non recipiamus?* Amplectamur igitur supremi numinis voluntatem, sive quid statuat, sive permittat, & in ea pacate conquiescamus. *Quis enim unquam ei restitit & pacem habuit*, immo vero impietatis nomine arcessitus non fuit? Speremus meliora, & quo res in deterius videntur adductæ, eo magis ad spem erigamur fore, ut revocentur in melius. *Ipse ad inferos deducit, atque reducit.* Ipse solus de malis bona facit emergere, ipse solus quamcumque jacturam cumulatiore novit mensura compensare. Hac ego me cogitatione consolor, hac fiducia sustentor, hac bene animatus, quod mihi reliquum est vitæ ad exitum jam vergentis, quantum per senectutis molestias licebit, Deo, ac Deiparæ bene faventibus, quiete, ac placide traducam.

CLXXII. Tu vero, Sodalis Optime, & amice carissime, fruere sorte tua, quæ te a tot malis eripuit, atque a turbulentissima tempesta-

te in tutissimum portum invexit, & tranquillissima in statione collocavit. Fruere tanto bono, quod tibi obtigisse ex animo & summopere gratulor. Fruere beatitate, quam apud superos consecutus est & pietas, ac Religio tibi tua, promeruerunt. Fruere denique cælesti *gaudio*, ac sempiterno, quod *nemo*, ut quæ postrema morientis vox fuit, novissimi historici scribentis sit, *nemo* certe tollet a te.

FRANCISCI CARRARÆ

ET

VINCENTII GEORGII

IN COMMENTARIUM

MARIANI PARTHENII

E SOCIETATE JESU

DE VITA ET STUDIIS

HIERONYMI LAGOMARSINI

EX EADEM SOCIETATE

ADNOTATIONES.

(1) *Mariani Parthenii* ec. Josephus Maria Mazzolarius Pisauriensis in suis edendis Libris nomen sibi *Josephus Marianus Parthenius* fecit, pietate ductus in Deiparam Virginem, cujus fuerat cultor eximius. De hoc piissimo doctissimoq. Jesuita multa retulit Carrara noster in *Novo Dictionario virorum illustrium* a se aucto. (V. *Mazzolari*.) Nota Romanis litteratis pia hæc Mazzolarii simulatio fuerat, qua sub ficti, at sibi charissimi nominis tegmine, verus tot egregiorum Operum Auctor latebat; at neque externis id erat arduum dignoscere, qui vitam Cæciliæ Somentiæ ab ejusdem filio Parthenio descriptam legere voluissent: nam cum Cæciliam hanc Cremonæ ex nobili Somentia familia ortam, nobilique pariter viro in urbe Pisauri nuptui traditam scripserit, seque Pisauri ex eodem conjugio natum fateatur, qui tandem fuerit, quave ex familia Somentiæ Maritus, ac Parthenii pater, facile erat judicare, simul ac (quod facillimum erat,) quærere quis a Pisauriensibus de viro Cæciliæ Somentiæ voluisset. De

Mazzolarii vero pietate singulari ac modestia, testari ipse ego possum, qui cum eo familiarissime vixi integro quadriennio in Romano Societatis nostræ Collegio, eumque, extincta Societate, sæpissime convenerim. Romæ adhuc, privata in domo degentem, seque Sacrorum librorum lectione, & perpetuo ad Basilicas Urbis accessu ex summo, quo afficiebatur ex obitu Societatis dolore recreantem. Dignum vero sapiente homine solatii genus, morte placidissima, & vere *in osculo Domini* obita, anno *MDCCLXXXVI*, in æternam beatorum civium requiem, quam illi suæ jam paraverant religiosæ virtutes, feliciter commutavit. (*Georgius.*)

(2) *Ad Joannem Marianum* ec. Fuit hic Parthenii nostri frater major natu, Jesuita pariter, ac in Provincia Mediolanensi Concionator *Bonæ mortis*, (ut Jesuitæ loquebantur) hoc est piarum exercitationum, quæ singulis fere sextis Feriis majoribus in urbibus, alibique Dominicis diebus peragebantur, *ad postulandum gratiam bene moriendi*. Comune vero sibi cum fratre *Mariani* nomen voluit Parthenius noster, ut in societatem Mariani cultus, eodem assumpto nomine carissimum quoque fratrem adsciscerer. (Ex breviori *Carraræ* Nota (*Georgius.*)

(3) *Tantum otii concessum* ec. Otium *sine piaculo minime optandum*, de quo hic Parthenius loquitur, illud plane esse puto, vel non valde dissimile illius, de quo Tullius ad Marcum filium scripserat, eversa jam Romana republica, (Offic. lib. II, n. 1.) *Cum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illæ scilicet litteræ conticuerunt, forenses & senatoriæ: nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis ab initio versatus ætatis, existimavi molestias posse deponi, si me ad Philosophiam retulissem*. Societate igitur eversa, præclusoq. Romæ præsertim, aditu ad majora ipsius ministeria exercenda, poterant utique ipsius alumni, omni jam soluti labore, oblatam sibi, at minime quæsitam vacationem, ad honestum aliquod solatium captandum amplecti, nisi quem fortassè, hoc ipsum non agere delectasset. At studiis laboribusque assueti in eisdem quas artibus,

incolumi Societate coluerant fovendis ornandisque adlaborandum sibi pleriq. censuerunt, plurimiq. idcirco editi libri, quibus vel amœniorum litterarum studia illustrata, vel morum explicata doctrina, vel antiquitatis evoluta monumenta, vel Ecclesiæ jura, & Religionis dogmata propugnata, aperto satis documento probarunt in acerbissimo etiam casu, & suæ dignitati, & aliorum utilitati consuluisse. Edidit Jesuita Cernitorius in sua *Bibliotheca Polemica*, Romæ edita an. MDCCXC, multorum Jesuitarum nomina, qui sublata etiam sodalitate, in Romana Catholica fide tuenda studium suum omne posuerunt: quin eadem qua antea in republica litteraria laude floruerunt Tiraboschius, Robertus, Bettinellius, Peregrinus, Noghera, Zaccaria, Andresius, Arteaga, Arevalus, Cunichius, Morcellius, aliiq. non pauci, unde illud plane constare inter prudentiores rerum æstimatores vidi, sublato Societatis nomine habituque, summum tamen in bonis artibus excolendis, & in Ecclesiæ juribus tuendis studium vigere adhuc in multorum animis, neque ullis difficilium temporum casibus extingui penitus potuisse. (*Georgius*)

(4) *Cui ego tantum debeo* &c. Commentarium hunc conscripsit auctor Romæ anno *MDCCLXXVI*, extincta jam Societate ab anno *MDCCLXXIII*. Nec Lagomarsino laudator aptior, nec Parthenio argumentum de quo cum dignitate scriberet accommodatius, quam Lagomarsinus poterat contingere; dignus certe, qui tanti viri vitam conscriberet, & quem tantus vir laudatorem haberet. (*Carrara*)

(5) *At aliquam fortasse mediocritatem* &c. At quæ fuerit. Parthenii in scribendo elegantia, nitidissima ipsius scripta declarant, Romanis Typis jam edita, copiosissimeque laudata tum a Bernardino Stayo Pontificiarum epistolarum scriptore celeberrimo, tume ab Angelo Fabroni qui Parthenii in Rhetorica addiscenda auditor fuerat, eaque de Parthenio vera cum laude scripsit, quæ nonnisi de summo in hoc scriptionis genere auctore prædicari possunt. (Vid. Fabron. Vit. Ital. Tom. III. edit. Rom. p. 289.) (*Carrara*)

(6) *Ut doctorem institutoremq. meum* &c. In præclaro *Ele-*

Artcorum Poemate, hæc de Lagomarsino Parthenius scripserat:

„Te quoque, te lente incedentem, & multa parantem
„Eminus agnosco oh Ligurum decus! arbiter idem
„Ausoniæ linguæ, sub te censore pudendam
„Barbariem exutus, pulcras accingier artes
„Et potui sacros paulatim accedere fontes
„Musarum, tua laus omnis, tua fama feretur
„Si rapidas vati supremo in funere flammas
„Evasisse rogi dabitur, longævaque nomen
„Si quod erit nostro huic operi allatura vetustas.
(Elec. L. VI.)

Hæc ornate non minus, quam vere de Lagomarsino Parthenius; qui cum *lente incedentem & multa parantem* Lagomarsinum dixerit, veram germanamque ipsius formam, expressit. Nam lentissimo plerumque ille incedebat gradu, non tam corporis obesitate, aut alio naturæ vitio, quam rerum, quas animo etiam inambulando, volvebat gravitate; ut ex ipso incessu meditantem vere Sapientem agnoscere; quod ita illi perquam familiare fuit, ut mihi ad eum, dum secum meditaretur accedenti, illud idem evenire soleret, quod de Cotta narravit Tullius, *qui hoc in Crasso sæpe animadvertisse dicebat . . . sese, qui vultum ejus, cum ei dicendum esset, obtutumque oculorum in cogitando probe nosset, cum dedita opera quiescentibus aliis eam in exhelram venisset, in qua Crassus, posito lectulo, recubuisset, cumque eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse.* (Cic. de Orat. Lib. III, c. V.) (*Georgius*)

(7) *In portu S. Mariæ* &c. In Parthenii autographo, Italice hæc scripta Carrara adnotavit: *Il P. Girolamo Lagomarsini nacque in Porto S. Maria in Spagna a* 30 *di Settembre* 1698. *Ebbe un fratello maggiore, che morì giovinetto in Ispagna e si chiamava Filippo, ed un altro per nome Giovanni, che pure in eta tenera morì nel Collegio di Prato in ottimo concetto. Ebbe inoltre una sorella per nome Angela, maritata in Genova a Stefano Mossi, onde questo ramo di casa La-*

gomarsini, è ora estinto. L' altro che rimane in Genova, e del quale vivono al presente Giuseppe Lagomarsini Cugino del P. Girolamo, e Gio. Tommaso suo figlio, è ascritto al libro d' oro della nobiltà de Genova, come pure la famiglia Lavagna nella quale è stata maritata Maria Tomasina ancora vivente, sorella di Giuseppe Lagomarsini, e l' istesso onore gode pure la famiglia Piuma, nella quale è maritata Felicina Lagomarsini vivente sorella di Gio: Tomaso Lagomarsini.

Lorenzo
Gio: Battista
Ottavio
Tutti tre Religiosi della Compagnia di Gesù
Ludovico in Donna Rosa

Lagomarsino Angelo. — Cunea Spagnuola
Gio: Tommaso
In Maria Felice Nassa
Figlia di Giacomo.

P. Girolamo della Compagnia di Gesù
Giuseppe
Maria Tommasina in Giacomo Gaetano Lavagna.

Quin & illud addendum censeo, Lagomarsinum puerum adhuc, antequam Genuam traduceretur, aliquandiu Hispali, quæ celeberrima Hispaniæ urbs est, *(Sevilla)* fuisse detentum, ut ipse idem narrat in Adnot. ad Gratiani Libros *de scriptis invita Minervâ*, Lib. V, p. m. 162. Edit. Florentin. *(Georgius)*

(8) *Ad Pratense in Etruria Seminarium* &c. Ex Pratensi Collegio Ciconinio ab ipsius institutore Ciconinio Pratensi cive, sic nuncupato, cuique præerant Jesuitæ, ac magna adolescentium frequentia celebrabatur, innumeri profecto, quasi ex equo Trojano alumni prodierunt, qui nomen suum Societati dederunt, in eaque & doctrina & pietate floruerunt. *(Carrara)*

His certe adnumerandus *Laurentius Ricci* Florentinus, postremus Societatis Præses, quem fortuna Societatis quidem perculit, at non omnino prostravit. Illa enim animi tranquillitate comite, quæ cum delictorum conscientia con-

jungi non potest, in Hadriani mole (vulgo: *Castel S. Angelo*) inclusus biennio fere fuit in custodia publica, eratque ex illa, solemni *Pii VI. P. O. M.* decreto proxime educendus, cum gravissimo correptus morbo, Novembri mense, an. *MDCCLXXV*, diem ibi clausit extremum. Solemni, quo nobiliores viri solent, *Pio VI.* iubente, elatus funere in Templum S. Joannis Baptistæ, quod ad Florentinos pertinet, ejusdem postea Pontificis jussu, in cæterorum Præsidum sepulcro, quod in Templo Domus professæ, ut ajunt, Societas præpositis paraverat suis, humatus est. At cum ego integro *quadriennio*, eodem in Collegio Rhetoricam docuerim, plures ibi habui auditores, quorum lætari recordatione debeam, qui vel dignitatibus aucti, vel doctrinæ & pietatis laude floruere, quos inter adnumerandi præcipue *Jacobus Boschius* Tiburtinus, Episcopus Brittonoriensis, prudentia, ac probitate *Pio VII. P. O. M.* carissimus, a quo dum is Forocorneliensi Ecclesiæ præesset, fuit Episcopatu inauguratus, & *Alphonsus Muzzarellius* Cathedralis Ecclesiæ Ferrariensis Canonicus, cujus non modo *verba & exempla*, sed & plurima ab eo, eaq. doctissima edita Opera, ita illum reddidere percelebrem ut inter strenuissimos Catholicæ religionis defensores recenseri debeat: eos si quidem in omni tum sacra, tum prophana doctrina progressus fecit, ut longe maior evaserit Magistro suo. (*Georgius*)

(9) *In Quirinali S. Andreæ Domo* &c. Mirum est quot homines omni laude cumulatissimos hoc Tyrocinium protulerit, quorum depictæ imagines prope innumerabiles, interioribusque parietibus dispositæ, ut oculos varietate oblectabant, sic juniorum animos ad eorum virtutes imitandas impellebant. (*Carrara*)

Romanum Societatis Jesu Tyrocinium a *S. Francisco Borgia* tertio post *Ignatium* Societatis Præside inchoatum, tum piorum Principum liberalitate amplificatum, redditibusq. auctum Tyrones ultra quadraginta, & Rhetoricæ Auditores etiam alebat, pluribus, iisque probatissimis Sacerdotibus, ad eos literis ac religiosis moribus imbuendos præpositis. Sanctum *STANISLAUM KOSTKAM* inter primos excepit, qui brevi decem mensium spatio, eadem in Do-

mo, *consumatus in brevi*, *explevit tempora multa*: neq. tamen illo avulso, aureus alter Tyro defecit: *STANISLAO* enim S. *ALOYSIUS Gonzaga* successit, qui pari innocentiæ & sanctitatis laude Societatem illustravit. His addendi Ven. *Robertus Cardinalis Bellarminus*, tum alii duo præstantissimi Cardinales *Sfortia Pallavicinus*, & *Joanes Baptista Ptolomæus*, tum *Paulus Segneri Senior* dictus, quem satis pro meritis laudare non possumus, alterq. etiam *Paulus Segneri Junior* nuncupatus, Senioris nepos, cujus vitam edidit *Ludovicus Antonius Muratorius*, & Ven. *Antonius Baldinuccius*, brevi, ut sperabamus, Sanctorum albo adscribendus, si Societas stetisset, aliiq. innumeri, qui in ultimas Japonum, Sinensium, Americanorum Insulas Christianam Fidem invexerunt, vel plurimis exantlatis laboribus, proprioque etiam effuso sanguine mirifice amplificarunt. (*Georgius*)

(10) *Andreas Budriolius* &c. De hoc doctissimo Jesuita Foroliviensi, Benedicto XIV, propter summam rerum scientiam apprime charo, qui in eadem Domo probationis, provecta jam ætate decessit, ann. *MDCCLXX*. plura retulit in *Novo Dictionario Carrara*

At illud præcipue addendum hic censui, singulari illum, tum in *S. Aloysium Gonzagam*, tum in *B. Virginem* sine ulla peccati labe conceptam pietate, nulli labori pepercisse, ut Causa Canonizationis B. *Aloysii*, regnante Benedicto XIII. P. M. felici tandem exitu, ut contigit, absolveretur: erat enim Budriolius ejusdem Causæ, ut Romæ loquuntur, *Postulator*. Quod vero ad purissimum Deiparæ conceptum attinet (pro qua Divinæ Matris singulari laude semper & ubique Societas Jesu propugnavit) selectissimam Bibliothecam, collectis undique rarissimis libris codicibusque Budriolus instruxerat, in qua quidquid pro Causa, & contra Causam scriptum adhuc evulgatumq. fuerat, facile reperisses. Tres præterea doctissimas disputationes Italice scriptas ediderat Patavinis Typis ann. *MDCCLII*, quibus B. Virginis sine ulla labe conceptæ cultum a quorumdam obtrectatorum levissimis tricis vindicavit. (V. Stor. Lett. di Ital. T. VII. lib. II. c. II. n. VI.) Harum vero præcipua est

qua invectum a *Francisco Pepe* Jesuita piissimum morem, deferendi non solum, sed &, præmissis quibusdam precibus, glutiendi chartulas quasdam, quibus verba hæc essent inscripta: *In Conceptione tua, Virgo, immaculatafuisti* &c. defendendum suscepit adversus eos, quibus minus hæc pia consuetudo probanda videbatur (quam tamen experimento facto gratissimam esse B. Virgini, curationum ab infestissimis morbis frequentia demonstraverat) vel quod a piorum sensu in asserendo purissimo Virginis conceptu abhorrebant, vel quod, pravo quodam consilio, dum a vera Religione, quam se tueri profitentur, superstitionem secernere prædicant, salubriora quæcumque pietatis incitamenta convellunt, quæ doctorum probata assensu, & Ecclesiæ numquam reprobata judicio, tolerari saltem, si non commendari debuissent: nihil enim, ubi de Religione agitur, periculosius est, quam ea labefactare, quibus hominum pietas nutrita crebrescit; iis vero sublatis, pene tota restinguitur, dum qui *evellere se zizania* gloriantur, temerario quodam ausu *convellunt simul & triticum*. Facere hoc loco non possum, quin humanissimos lectores, felicissimi cujusdam eventus, qui dum hæc scribo mirifica me voluptate cumulavit certiores faciam, quo ad B. Virginis purisimum conceptum tuendum venerandumq. ardentiori studio semper incumbant. Insperanti enim mihi contigit, ut dum neglectam quamdam, sordibusq. obsitam scriptorum molem apud infimæ sortis familiam evolverem, in scriptum volumen inciderem exaratum a Ludovico Andrutio, aliis editis jam Operibus de Catholica Fide egregie merito, quo Deiparæ purissimum conceptum tueri sibi proposuerat, statueratq. illud in lucem emittere, si diutius vivere contigisset. Tum duo alia reperta Volumina, quibus autographæ litteræ, omnium totius fere Hispaniæ Episcoporum, Academiarum, religiosorum Ordinum continebantur, quibus Clementem XII. P. M. enixe rogabant, ut solemni ex Cathedra judicio, Deiparæ sine ulla labe conceptum assereret, ut de singulari hoc Virginis ornamento, non jam privato sensu pro arbitrio suo judicare quis posset, sed, ut de re Ecclesiæ firmissimo judicio definita, nefas esse duceret contra-

rie sentire. Quibus profecto testimoniis, cum non solum validissimum optimæ causæ parari præsidium agnoscerem, sed novam pro Pontifice cum *ex Cathedra loquitur*, fallere, & falli nescio argumentum, ex unanimi tot Episcoporum consensione arbitrarer, nihil antiquius habui, quam ut de tota re amplissimum Cardinalem *Hiacyntum Gerdilium*, omni pietatis & doctrinæ laude præstantem certiorem facerem, enixeq. illum rogarem, ut pro summa in Deiparam, qua præstat pietate, & pro singulari illa qua me immerentem benevolentia complectitur, SSmo. Ecclesiæ Pontifici *PIO VII.* consilium quod mihi hac in re capiendum videbatur, exponere non gravaretur, ut quando ex Apostolico Tabulario hæc olim fuisse deprompta volumina dubitari non poterat, remitti Romam illico juberet, justa quadam remuneratione iis, qui ea hactenus retinuerant, proposita; quod cum ille probasset, tum SS. Pontificis adsensu implorato, sic, datis ad me humanissimis, ut solet litteris respondit. *Notificai l' acquisto, o ricupero degl' interessantissimi originali anche per intendere la retribuzione da darsi* ec. *Il S. Padre ha sentito con molto piacere la ricupera de menzionati originali* ec. (Roma 21 Aprile 1801. G. Card. Gerdil.) (*Georgius*)

(11) *Aureos ipsius de Oratore libros* &c. De præclaro hoc Tullii opere benemereri studuit Parthenius ipse, qui cum Romæ Rhetoricam doceret, novam hujus operis editionem cum notis Proustii e Soc. Jesu Patavii evulgandam curavit, anno *MDCCLXXI*, elegantissima ad suos Auditores præmissa Epistola, qua eos ad assiduam horum Librorum lectionem hortatus est. (*Carrara*)

(12) *Dominicum Franchinum* &c. Dominicus Franchinus Pistonensis, non solum bonarum artium cultor & fautor extitit, sed & in Romana Provincia moderanda summa dexteritate ac prudentia claruit, ut multorum judicio, suprema totius Ordinis Præfectura dignissimus haberetur. Is vero, cum munus Procuratotis Generalis ut ajunt, obiret, sublata Societate, Patriæ sese restituit, ubi paucis post annis ferme octogenarius, e vivis excessit. Franchinii opera factum præcipue est ut Romam Lagomarsinus, arcessere-

tur. (*Carrara*) Extat Caroli Roti Florentini e Soc. Jesu ad Franchinum Elegia. *Candide Pieridum judex Franchine mearum &c.* ut intelligi possit elegantissimum hunc scriptorem, judicio Franchini Carmina sua subjecisse. (*Georgius*)

(13) *Sub nomine Golmarii* &c. Italice scriptam Disquisitionem hanc, Tarvisii editam finxit Lagomarsinus, cum Arretii, qua in Urbe eo tempore humaniores docebat Litteras, fuerit ab eo exarata atque edita. Delitescere tamen ipse voluit sub fictis illis nominibus di *Golmario Pepugier Marsigliano*, quorum tamen singulæ litteræ, *anagrammatico*, ut loquuntur ordine collocatæ, propria Auctoris nomina contegunt di *Girolamo Giuseppe Lagomarsini*. De lepidissimo hoc scripto hæc habet Carrara *in Dictionario* suo, (V. *Lagomarsini*) *Fu allora ch' ei per dimostrare la sua perizia nella lingua Latina pubblicò una saporitissima sua critica contro un finto maestro di scuola di Clusiadepoli*. In eo tamen scripto hoc sibi proposuit Lagomarsinus, ut inscitiam ac temeritatem eorum carperet, qui verba nonnulla, scribendiq. formas, ut minus Latine, vel etiam barbare usurpatas reiiciunt, quas tamen Latinissimas, ut sic loquar, esse, ex veterum scriptorum auctoritate probari facile posset. Imitari fortasse Lagomarsinus voluit egregium illum (immo meo quidem judicio summum) Hetrusci sermonis elegantia scriptorem *Danielem Bartolum* S. J. qui sub ficto pariter *Ferrantis Longobardi* nomine librum vulgaverat -- *il Torto, e il diritto del non si può* -- ut eorum castigaret inscitiam, immo arrogantiam, qui quæ vel sibi, in Hetruscæ linguæ studio usuq. non placent, vel turpissime ignorant, audacius respuunt, in aliisq. reprehendunt, non secum ipsi reputantes, quam sit arduum opus, immo & a prudentiori viro vix tentandum, ut *pede stans in uno*, de difficilioribus rebus judicare audeat, ubi præsertim de vi usuq. verborum cujuscumq. linguæ disputandum sit, qua in contentione non ex proprio arbitrio, sed ex Scriptorum auctoritate (quorum testimonia, quæ sunt innumerabilia, uno obtutu pervidere, aut memoria sepire non possumus) controversia hæc diiudicanda sit; quo in certamine turpissime labi

videmus non paucos, qui temeritatem incusare suam postea debeant, cum errore detecto, ea repudiasse convincantur, quæ vel probanda omnino fuerant, vel non tam facile respuenda. (*Georgius*)

(14) *Jacobus Facciolatus* ec. *Allora* (cum Golmarii editus libellus est) *fù, ch' egli aprì commercio letterario col celebre Facciolati il quale avea dato principio alla riforma ed alle aggiunte del Calepino, della qual opera fù assai benemerito il Lagomarsini*. (Carrar. Dizion.) Id profecto vera cum laude scripsere Parthenius atque Carrara, cum ego ipse *Lexicon*, seu *Calepinum*, quem apud se habebat Lagomarsinus viderim, innumeris pene locis ab ipso emendatum auctumqita, ut ex iis tantum quæ addiderat Lagomarsinus, par pene Volumen confici potuisset. Plures etiam vidi Epistolas a Lagomarsino ad Facciolatum, & Facciolati ad Lagomarsinum datas; quæ quo tandem abierint, prorsus ignoro. Atque hæc causa fuit, ut cum in *Opusculis* Ferrariæ editis anno *MDCCLXXIX* opera ac studio doctissimi viri Antonii Melonii Epistolas quasdam Facciolati ad Comitem Camillum Silvestrium Rhodiginum datas, atque a doctissimo Canonico Hieronymo Silvestrio adnotationibus auctas legissem, ac Rhodigium postea An. *MDCCLXXXIII*, ad Conciones Quadragesimalibus feriis habendas venissem, facere non potui, quin Epistolarum, quas memoravi, cum eodem doctissimo viro flerem jacturam; his enim copiosiorem & præstantiorem, quam nunc sit, Collectionem suam facere potuisset. Levia enim non pauca, & Facciolato minime digna, in ea continentur. At cum lautiori apparatu ornare nequiverit Hieronymus Collectionem suam, quam illis tantum vulgatis Epistolis, quas ad proavum suum Camillum Silvestrium Facciolatus dedisset, iis tantum instruere ferculis convivium potuit quæ domi reperta sunt, addita tamen meliori symbola, quam e suo penu protulit Hieronymus, doctissimis adjunctis adnotationibus, quæ, ut ego quidem sentio, majori longe in pretio, quam ipsæ a Facciolato scriptæ Epistolæ, habendæ sunt. Nam ut exempli causa pauca proferam, quæ ille de Hannibale Albano Clementis XI Nepote, Patavium e Viennensi Legatione

adveniente cum Silvestro ludit, quam levia, Deus bone! quam inepta! quam libero homine minime digna! *Fù qui a metterci in scompilio* (sic.) *Monsignor Albani; e la mia cattivella Musa aveva preparate molte bugie in Greco ed in Latino, ma costui la fece da Nipote di Papa, cioè da Ciceroncino.... Se viene in Rovigo, si approfittino della nostra beffa, e gli facciano un secco augurio di buon viaggio* ec.) (Opus. Ferr. T. Lett. 13.)

Quid! illa quæ de Jesuitis ad eumdem Comitem Silvestrium scripsit, quam inepta pariter, quam inurbana, quam minime cum iis cohærentia, quæ de suo in Societatem amore ac studio, ad Lagomarsinum scripserat, ut simulato potius officio quam ex animi sensu, ea scripsisse suspicari possimus? Nam cum de Italica interpretatione Satyrarum Juvenalis & Persii a Comite Silvestrio confecta, Patavinisque typis edenda ageretur, negotium dederat Facciolato ipsi Patavinus Orthodoxæ Fidei Quæsitor Fr. Ambrosius Lisottus ex Ordine Min. Conventualium S. Francisci, ut etiam atq. etiam videret, ne ex hac interpretatione honestas morum quid detrimenti caperet: multa enim sunt in Latinis istorum Poetarum sermonibus, non impudica solum, sed enormiter turpia. Fidem hoc in negotio obligasse Quæsitori suam fatetur Facciolatus ad Silvestrum datis litteris, felici ut optabat exitu, si quod jam tentaverat, ex sententia procesisset. *Il P. Inquisitore me l' ha tornato a raccomandar con caldezza, ed io allora ho detto e fatto ciò, che ho stimato proprio, senza consultare il Tripode de' Gesuiti. Ma che? Ella conosce l' Huomo* (Lisottum). *Domani debbo visitarlo.... metterò discorso del dottissimo P. Minorelli* (erat is egregius e Dominicana familia Theologus), *e mi ingegnerò d' inclinar la revisione sopra di lui*. Judicium P. Lisotti pertimescebat Facciolatus, tum quia severiorem judicem deprehenderat in iis perpendendis, quæ ad mores pertinent, tum quia in re omnium gravissima adhibere in consilium Jesuitas consueverat, quorum honesti mores illi maxime probabantur. Hinc argutiis usus inurbanæ reprehensionis Facciolatus, tum hominis spectatissimi levitatem (*ella conosce l' Huomo*) tum Jesuitarum sibi præfidentium

arrogantiam irrisit, (*senza consultare il Tripode de' Gesuiti*) cum tamen & Lisottum laudare, & Jesuitas non contemnere debuisset; præsertim cum *Tripodi* huic insidentem Lagomarsinum sæpissime ipse consulendum, tamquam Latinitatis oraculum censuisset, his datis anno *MDCCXXXVI*, litteris. *Hoc quidquid est, tua causa edo, Tibiq. dicatum volo, veteri amico de me studiisq. meis præclare merito.*

At sibi mitiorem fore in hac causa judicem Dominicanum Minorellium ratus, huic uni a Quæsitore (neglecto *Jesuitarum Tripode*) totum committi negotium, omni studio ac machinatione contendit: qua in re nihil doctissimi & probatissimi hominis prudentiæ ac virtuti detrahi velim; potuit enim mitiori uti judicio Minorellius, in libro illo recensendo, ut sine ulla modestiæ offensione posset se probante evulgari. At minime in Facciolato probabunt æqui rerum judices versutam agendi rationem, ut hominem modestissimum gravissimumq. Lisottum Quæsitorem in suam sententiam perduceret. *Aggiungo che il P. Inquisitore è intenzionato di far vedere il Giovenale al P. Minorelli, e sulla di lui sola attestazione* (non ergo amplius ex *Tripode* Jesuitico) *sottoscrivere la licenza. L' ho fatto cadere sì bene nelle panie, che nulla più* &c. Qua in re, quæ fuerit Facciolato justa gratulationis causa, plane non video. Nam, ut in edendis spurcissimorum Poetarum carminibus adhiberetur censura remissior ab eo, quem publicæ honestatis vindicem resp. constituerat, optari ab homine honestatis studioso non poterat: Atqui severiorem ille disciplinam veritus, vigilantiam diligentissimi hominis, levitatis coarguere non dubitavit: *Ma ella conosce l' Huomo* ec. Quin cum se etiam *vinculis Inquisitorialibus adhuc alligari* sentiret, ut iis aliqua se ratione expediret, (spreto *tripode* illo, cujus præcipue responsa metuebat) artificioq. usus, nescio quam liberali & honesto, circumvenisse se Quæsitorem gloriatus est, exitu adeo felici, ut retibus implicatum suis (*l' ho fatto cader sì bene nelle panie*) arbitrum illum constitueret, quem sibi propensiorem futurum judicaverat. (*Georgius*)

(15) *Angelus Maria Ricci* Græcarum Litterarum in Athenæo Florentino professor, obiit anno MDCCLXVII. Julius

lius Pontedera Vicetinus, sed origine Pisanus in Horto Patavino Botanices Professor eximius. Antonius Maria Lupus Florentinus Jesuita in omni fuit antiquitate versatissimus. (*Carrara*)

(16) *Nec vero Italicam linguam neglexit*, ec. Veterem hic in Jesuitarum scholas accusationem diluere possem, qua eos nonnulli, ita Latinis litteris excolendis intentos dictitabant, ut nihil pene de Italica tradenda lingua cogitarent. Quod etsi ultro iis concederem, nulla tamen inde justæ accusationis ratio exstare posset; cum ab artis aut scientiæ quocumque magistro, illa tantum sit disciplina tradenda, cujus est artifex; ut enim a Musico Medicinæ præcepta non quærimus, neque a Medico Astronomiæ elementa reposcimus, ita a Latinitatis Præceptore hoc tandem requirimus, ut auditores suos Latine tantum, non Gallice, non Hispanice, non Græce loqui doceat, ne studiis in plura distractis, dum plura quam possit, animo ac memoria tenere quis velit, nulla plane condiscat. Verum, cum tota Latinitatis cultura eo præcipue spectet, ut quæ Latine scripta sunt, Italica vel scribendo, vel loquendo fiant, & quæ Italica sunt, Latina fiant, inde illa emergit utriusque Linguæ copulata societas, ut una ab altera sejungi, vel negligi nequaquam possit. Atque hanc ipsam ob causam nulla in Jesuitarum scholis omitti diligentia solebat, ut Italicis verbis quam aptissimis in Latinis interpretandis Scriptoribus uterentur, quo fiebat, ut Italicæ linguæ præceptis imbuerentur discipuli dum Latine loqui didicissent. His accedebant aptissima a nostris hominibus oblata præsidia, selectissimis editis Hetruscæ linguæ institutionibus, quarum erat in scholis frequentior usus, *Cinonii* scilicet, seu potius P. Mambellii Foroliviensis, *Particulæ: Rainaldi*, sive Sfortiæ Cardinalis Pallavicinii *Monita Gramaticalia*, *Benedicti Rogaccii*, *Grammatices Institutiones*, ac demum *Danielis Bartoli* scripta omnia, quibus ita se Hetruscum vere Scriptorem ostendit, ut si tortuosum illud atq. suboscurum sæpe dicendi genus excipias, in verborum tamen delectu (quantum ego ex assidua ipsius lectione judicare potui) parem habeat neminem. (*Georgius*)

(17) *Fuerit igitur Grammaticus* ec. Lagomarsinum igitur, sive Grammaticum, sive potius Philologum appellare libuerit, doctissimum vere hominem fuisse quisque judicabit, tum ex iis, quæ Parthenius scripsit, tum ex iis, quæ Lagomarsinus scripta reliquit, quod ubi de ipsius adnotationibus ad Julii Pogiani Epistolas instituetur sermo, planum fiet. At eloquentissimum etiam Oratorem fuisse recte monet Parthenius, quamquam in eo sit eloquentiæ genere plerumque versatus, quod a strepitu concionis remotum, lene ac profluens *Academico*, ut ajunt, more amœnioris Litteraturæ præcipua argumenta complectitur, quo in genere Muretus atque ipse Parthenius magnam sunt inter doctissimos ætatis suæ viros laudem consecuti. Extant hoc in genere Orationes a Lagomarsino Florentiæ habitæ, quas postea Romæ edidit Anno *MDCCLIII.* Salomonianis Typis, etsi ipsarum aliquæ jam Genuæ Anno *MDCCXLVII*, & Venetiis Anno MDCCLI. editæ jam fuissent, atque illæ duæ præsertim, quas: *pro Publicis Italiæ Scholis* Florentiæ habuerat, tertia addita *pro Grammaticis Italiæ Scholis*, qua, tum rationem instituendæ in studiis humanitatis juventutis a Jesuitis initam, tum Emmanuelis Alvari Grammaticas Institutiones a malevolorum conviciis vindicavit, novamque in quasdam scholas invectam, magnoque levissimorum hominum plausu exceptam Latinæ linguæ docendæ methodum a recentissimo Authore Libelli, qui *Grammatica Portus Regalis*, inscribitur concinnatam, festivo usus dicendi genere, implexam non modo, sed mancam, inanem, immo etiam perridiculam esse demonstravit. In ea enim inciderat Hieronymus tempora, quæ opportunissima Jesuitarum inimici censuerant, ad majorem in eos invidiam conflandam, si apertum bellum ipsorum Scholis etiam intulissent, quas si vacuas facere contigisset, defervescere, immo etiam extingui benevolorum hominum in eos studia vidissent. Atque hinc renovatæ toties, totiesq. convulsæ expostulationes de diuturnitate. Grammaticarum Institutionum, quibus adolescentium ingeniis, vinculis quibusdam injectis, feliciores ad utiliora studia progressus, retardabantur; hinc Alvari ipsius, quem olim ut optimum Lati-

nitatis magistrum litteratorum fere omnium consensio celebraverat Institutiones ceu futiles inanesq. despectui habitæ: hinc confictæ etiam, tum Antonii Bonuccii, tum Ægydii Julii in corruptam docendi rationem a sociis invectam, criminationes (Vid. Stor. Lett. d'Ital. Tom. II. Lib. II. Cap. VIII.) ut domestico convicti testimonio, filios suos a nostris scholis parentes abducerent: quamquam diutius in horum recordatione versari supervaneum jam sit, cum sublata Societate dici jam possit; *Fuimus Traes:* & non *jam tali auxilio*, *nec defensoribus istis*, *tempus eget*. Situ ergo sordescat Alvarus ille, quem rudior antiquitas immerito sane suspexit; densisque illis excussis tenebris, quas Jesuitica docendi ratio bonis artibus, ac Latinæ præsertim linguæ obduxerat, nova oborta *ex Porretii*, *ac Portus Regalis*, seu *Lancellotti* Institutionibus luce, nitor Terentianæ, Ciceronianæ, Virgilianæ Latinitatis effulgeat! Erit fortasse, quo aucto Latinarum litterarum splendore, cultioribusque scriptoribus in dies emergentibus, Italiæ præsertim ubi hæc studia semper viguerunt, novarum Institutionum utilitate percepta gratulemur, facilioriq. (si Diis placet) aperto tramite tot existere elegantissimos scriptores videamus quos Maffeis, Manutiis, Perpinianis, Muretis, Pogianis ec. ac ne antiquiores tantum recenseam, Cordariis, Cunichiis, Bonamicis, Ferrariis, Zanottis aliisq. pene innumeris, qui in Jesuitarum scholis, Alvaro Duce, Latinitatis Tirocinia posuere, merito possimus anteferre. (*Georgius*)

(18) *Obscurissimos*, *& confragosos Versus* &c. In Latina Grammaticarum Institutionum Emmanuelis Alvari Synopsi, quam accuratissime concinnavit Horatius Tursellinus S. J. pariter elegantissimus Scriptor, singulis fere ab Alvaro propositis latinæ dictionis præceptis, aptissimi sunt præmissi versiculi, quibus tota vis cujusque præcepti comprehensa, addiscentium memoriæ facillime inhæreret; nam, ut præclare monet ipse Lagomarsinus, habet *nescio quid Poetarum ille numerus ac modus ad memoriam vehementer firmum ac diuturnum*, *qui si interdum*, *propter operis difficultatem paulo*, *ut dicam obscuriores*, *sed minus perspicuis videri possint*, subjecta iis plano ac soluto sermone expli-

cstione perlecta, quid iis signifacere voluerit auctor, facile adolescentes intelligent. *Absolutissimos & pulcherrimos* versiculos hosce vocavit, Grammaticus ipse Scioppius, Alvari licet infessissimus hostis; & hi tamen recentionibus ætatis nostræ censoribus valde displicuere, hanc unam puto ob causam, quod a Jesuita exarati, in Jesuitarum scholis usurpari consueverant; non enim ab usitata hac, satisque accomoda præceptorum tradendorum ratione plane abhorrere ii idem censendi sunt, qui, rejectis Alvari latinis versiculis, valde ipsorum judicio implicatis obscurisque, nitidiores alios Italicos, in Italica *Portus regalis Grammatica* subiicere cogitarunt, *Italice*, (ipsorum judicio) scriptos, suntq. præcipue, quos in Oratione sua Lagomarsinus retulit.

„ Regola de Nomi in *NS* ed *RS*.
„ *Tis NS RS* induce
„ *Dis glans*, *nefrens elens* brama
„ E gli in *S* che cor produce

Quæ profecto ejusmodi sunt, ut de ipsorum levitate judicare quivis facile possit, meritoq. illa subjecerit orator „ *Quæ verborum ambages? Quæ ænigmata? Quæ portenta sunt isthæc? Dædalo hic aliquo Oedipo, Etrusco Lucumone opus est; Tis, NS RS induce* &c. *Sibi ista quid volunt? Italica sunt hæc? an Latina? an utraque? an neutra? &c.* (Orat pro Gramm. Ital. Schol. p. m. 185). (*Georgius*)

(19) *Poesi etiam studuit &c.* etsi non eo, quo Eloquentiam ardore facultatem hanc excoluerit, nec pari fortasse eventu, ut hoc etiam in genere similis dici posset Tullii sui, quem, etsi ut divinum oratorem omnis mirabitur ætas, haud tamen parem laudem in Poesi exccolenda consecutum doctissimi viri judicarunt, quamquam non idcirco malum Poetam dixerim, ut ostendit Andreas Schottus Jesuita in præclaro Libro: *Cicero a calumniis vindicatus* (Cap. X.) sed etsi non mediocrem tantum, sed & bonum appellare Poetam Tullium libuerit, non repugnabo. At ne summa omnia uni tribuamus, id ratio non solum, sed & ipsa experientia confirmat: sunt enim in rerum natura ingeniorum vires certis

plerumque conclusæ finibus, ut quemadmodum *non omnis fert omnia tellus*, ita non omnium laudatarum artium vim, pari felicitate complecti, ingenia omnia possint: quæ ipsi Lagomarsino præcipua ratio fuit, ut elegantissimam illam Orationem scriberet, in qua sibi hoc demonstrandum proposuit „ *multam quidem esse dandam literis, at non multis operam:* Didascalicum de *Fontium origine* carmen a Lagomarsino exaratum, nec tamen absolutum, elegantissimis versibus Italicum fecit Joannes Petrus Bergantinus e Theatinorum familia eo in Libro, quem Venetiis edidit anno *MDCCXLIX*, ipsiq. Lagomarsino nuncupavit: *I quattro Libri delle cose Botaniche del P. Francesco Savastano della Compagnia di Gesù colla Traduzione in Verso sciolto Italiano di Gian Pietro Bergantini al Chiarissimo P. Girolamo Lagomarsini*. Atq. utinam, quod sibi proposuerat Bergantinus conficere potuisset! Nam Didascalica fere omnia Jesuitarum Poemata simul collecta, & a se Italicis explicata versibus edere constituerat, Operis totius *Prospectu*, ut ajunt Venetiis sic proposito „ *Scelta di Poemi Latini appartenenti a Scienze ed Arti, di Autori della Compagnia di Gesù, colla Traduzione in verso sciolto Italiano*. Hujus vero operis, cum exordiri initium vellet ab elegantissimo Venierii Poemate, cui titulus *Prædium Rusticum*, commutato repente consilio ab Savastani Poemate inchoandum duxit, nec ultra progredi potuit, novis in dies enascentibus impedimentis, quæ si vincere potuisset, plures in perdifficili hoc scribendi genere egregios Authores e nostra Societate protulisset, quos inter præcipui fuere, Brumoy, de *Arte Vitraria*, Poree de *Motibus Animi*, Rapinus de *Hortorum cultura*, Giannettasius, de *Bellicis*, *Nauticis*, *Hallieutica &c.* Quintius de *Balneis Pitechusarum:* Burgundius, de motu, *seu natatu Piscium*, *&c. Avium volatu* „ Grimaldus de *Vita Urbana*, *Oeconomica:* Rogaccius *Eutymia*, seu de *Tranquillitate Animi:* Mazzolarius de *Electricis:* Nocetus de *Iride* & *Aurora Boreali:* Boscovichius de *Solis ac Lunæ Defectibus:* Victorius: de *Universa Philosophia*, aliiq. non pauci, quorum tum ab Authoribus Historiæ Litterariæ Italicæ, sunt relata Opera (Tom. I. Lib. II. c. VII.) tum a Joanne Ba-

ptista Roberto in Italica elegantissima Epistola ,, *Sopra l' uso della Fisica nella Poesia*. (V. Rober. oper. T. II. edit. Bonon.)

At non ex eo quod in Poesi excolenda non sui similis videri possit Lagomarsinus, minus eum idcirco in Poeticæ facultatis natura dignoscenda, præceptisq. tradendis, valuisse suspicabimur. Potest enim qualibet in arte præceptorum, quæ ab illa traduntur, scientia ab ipsius artis exercitatione usuque sejungi; neque ex eo quod aliquis in Pictura, Titiani, Raphaelis, Corregii nequeat excellentiam æquare, acre idcirco judicium ei denegabimus, ut de iis, quæ excellunt alieno in opere, aut etiam vitiosa sint, judicare non possit. Dignam recordatione rem narrabo, de qua nihil commemorasse Parthenium nostrum, valde demiror. Tragœdiam Italicam, *Meropes* nomine inscriptam ediderat Marchio Scipio Maffejus Veronensis, Litteratorum ætatis suæ facile Princeps; atque hæc Tragœdia illa est, quam Itali non modo, sed & Germani, Hispani, Gallique etiam ipsi, Italorum Scriptorum haud effusi laudatores, omni cumulandam laude censuerunt; quamquam (sive id invidia tantæ laudis acciderit, sive insolentia quadam, qua Græculi non pauci fastidiosius de aliorum scriptis judicare solent, nihil ut iis concinnum, nihil aptum, nihil ne tolerandum quidem videatur) non defuere qui acriori censura lacerandam convellendamque non erubescerent, quo in numero morosior ille Lazarinus fuit, de quo vere ad Maffejum ipsum Lagomarsinus scripserat, nihil homine illo præposterum magis inveniri posse, cui cum aliena semper displicerent, efficere tamen illud non potuit, ut aliis placerent sua. At cum mitiori, & idcirco non contemnendo judicio peringeniosi alii Scriptores, ut Tartarottus, Voltaire &c quædam minus probanda in Tragœdia illa deprehendissent, (nec sane fœtus suos ita amplecti, & tamquam filiolos osculari suos solebat Maffejus, ut hostium numero haberet quoscumque vel justissimos suarum rerum censores offendisset) hoc sibi etiam licere, sine ulla veteris amicitiæ offensione putavit Lagomarsinus, ut quosdam sibi minime probatos versiculos, data ad Maffejum ipsum satis longa doctissimaque Epi-

stola An. *MDCCXLVII* indicaret, ut Maffeii sententia cognita, omnis quæ animo insederat seu dubitatio, seu scrupulus, ut ille scripserat, tolleretur. Epistolam integram Scriptores Historiæ Litterariæ protulere. (Tom. XIV. Lib. II. c. III.)

Quod minus ergo Lagomarsino placebat, erat elegans illa quidem, at sibi visa minus apta hirundinis circum tecta raptos sibi fœtus quærentis descriptio, quam Scen. I. Act. III, ut summum Meropes, ex falso sibi allato Cresphontis filii mortis nuncio dolorem exprimeret, Tyrannus ipse Poliphon Adrasto indicaverat, cum ea pronunciavit:

„ Videla il servo lacerata il crine
„ Di pianto il sen, piena di morte il volto,
„ Videla sorger furibonda, e a un ferro
„ Dar di piglio, impedita a viva forza
„ Dall'aprirsi nel seno ampia ferita,
„ Or freme ed urla, e d'una in altra Stanza
„ Sen' và gemendo, e chiama il figlio a nome
„ *Qual Rondine* talor, che ritornando
„ Non vede i parti, e trova rotto il nido,
„ Ch'alto stridendo gli si aggira intorno
„ E parte, e riede, e di querele assorda: ec.

Hanc ergo, summo certe ingenio atq. elegantia descriptam imaginem minime probavit Lagomarsinus, quod illam, nec loco, nec tempori, nec personis aptam, subtiliori adhibito examine deprehenderat, idque tam copiosis validisq. argumentis, ex ipsa Tragicæ artis natura deductis, tum ex veterum Scriptorum exemplis probare aggressus est, ut integram Epistolam legenti non tam facile occurret quid pro justa Maffeii defensione proferri possit. Vidit hoc profecto, seu potius omnino negare Maffejus ipse non potuit, qui sic ad Lagomarsinum, acrem quidem Tragœdiæ suæ Censorem, at sibi amicissimum respondit „ *Mi è stata molto cara la sua critica alla mia Rondine. Ella hà forse ragione, ma con tutto ciò non mi priverei di que' quattro versi, per ragion di gratitudine, come accennai nelle Note.* Quamquam

ut aliqua se ratione defenderet, interrupta quadam, nec satis explicata verborum sententiarumq. congerie, infirmæ satis causæ patrocinium suscipere conatus est, ut ex reliquis, quæ ingeniose magis quam apte scripsit judicare possumus, quibus etiam, amici censura se vere convictum ostendit: etsi aperte id tandem fateri, quasi erubesceret „ *Scrivo poco, e con malagrazia, perchè è assai tempo, che sono disturbato dal flusso, e credo di accostarmi al termine; Ma ho voluto dar segno della stima, che fò delle sue riflessioni, quali sole vagliono assai più, che le stravaganze tutte del Lazzarini* ec. Tandem prætermittenda non sunt, quæ de Maffeio sic scribente retulit doctissimus *Historiæ Litterariæ* Scriptor „ *Prese in ottima parte questa non meno rispettosa, che saggia e forte Critica del Lagomarsini il Maffei, e sebbene non si risolvette a dichiarare espressamente d'avere il torto, non però lasciò di confessarlo in termini equivalenti, esprimendosi, che il suo Critico* forse avea ragione; il qual forse *in bocca di un tal Letterato, tenero, quanto altri mai de' parti del suo ingegno, val quanto in altrui bocca, un certamente.* (*Georgius*)

(20) *Gratiana familia* &c. In immensa illa scriptorum Voluminum mole, quorum Gratiani Tiphernates usum Lagomarsino concesserant, quæque ipse diu multumq. volutavi, egregia non solum Antonii Mariæ Gratiani Episcopi Amerini scripta continebantur, sed & alia non pauca doctissimorum hominum monumenta, quorum editionem Lagomarsinus paraverat; at egregium tanti viri consilium, cum graves temporum casus, tum gravissimæ impensæ subeundæ, ac ipsa demum carissimi hominis mors, literis, literatisq. luctuosa, pervertit. Igitur si Gratiani Libros, quos *de scriptis invita Minerva* inscripsit excipias, quosque Lagomarsinus Florentiæ, maximo cum doctorum plausu vulgavit anno *MDCCLV*, alteramq. ipsius Gratiani ad Card. Commendonum de *Julii Pogiani vita* epistolam, quam Volumini II. Epistolarum Pogiani, Lagomarsinus præfixit, reliquorum editio numquam confecta. Nam & ipsæ Gratiani fuerant edendæ Latinæ Epistolæ quamplurimæ, quæ nondum publicam lucem adspexere, nec umquam fortasse aspicient, tum in meliorem formam, reliqua jam edita

Gratiani opera redigenda, quorum præcipua, magnoq. in prætio habenda sunt: I. *Joannis Francisci Commendoni Cardinalis Vita*, quæ primum Parisiis apud Mambre Cramoysi, ann. 1669, tum Patavii apud Petrum Frambottum edita ann. 1685. II. De *Bello Cyprio* Libri quinque, quos Romæ Typis Alexandri Zanetti ann. 1624. Carolus Gratianus nostri Nepos Francisco Cardinali Barberino nuncupavit, III. De *Casibus Virorum illustrium* Commentarius, quem tamen *de Casibus adversis Virorum illustrium* in duobus MS. Codicibus a me inspectis Gratianus inscripserat, minime vero, ut D. Flecherius Abbas S. Severini evulgaverat. *Theatrum Historicum de Virtutibus & vitiis Illustrium virorum ac Fœminarum*, ut in edit. Francofurti, impensis Joannis Justi Erythrophili scriptum legimus. In his vero Libris non pauca sunt, quæ diligentius ab eruditis perpendi vellem, quo temporum illorum fieret Historia lucidior. Nam, exempli causa, in Vita Commendoni Cardinalis, quæ de Ochino illo Cappuccino tam celebri Libri Secundi Capite IX. a Gratiano narrantur, minime cohærent cum iis, quæ a Fr. Boverio Cappuccinorum Historico in suæ Religionis Annalibus, & a Stephano Menocchio Soc. Jesu in Italico opere, *Le Stuore* (T. II. Centuria VIII. c. 92.) Scripta sunt. Quin ex ipso Gratiano Author *Novarum adnotationum in Tiaram ac Purpuram Venetam*, a Card. Quirino Brixiensi Episcopo exaratam emendandus, qui falso omnino de Card. Commendono retulit, in *ipso Gratiani Libro, nullum reperiri vestigium, quo probari possit Commendonum a Principis* (Gregorii nempe XIII.) *gratia vel leviter excidisse* (V. Tiar. & Purp. Ven. P. II. n. XXXI. p. m. 387.) cum id ipsum Gratianus affirmaverit Libro IV. de vita Commendoni Cap. XIII. Quin & illa quæ Gratianus in Commentario *de Bello Cyprio* retulit, Hugonem nempe Boncompagnum, qui postea Gregorius XIII. P. M. est renunciatus, Bononiæ civem, *loco natum haud ita claro* fuisse (de Bell. Cyp. L. V. p. m. 257.) minime cohærent, cum iis, quæ de hujus Familiæ clariori origine refert Maffejus in Annalibus Gregorii XIII, quæ si vera sint (quis autem dijudicare id facile potest?) vel mentitum, vel deceptum fuisse

Gratianum constabit; adeo in Historia conscribenda partium studia, a veritate deflectere vel prudentissimos homines interdum impellunt. De hoc vero Commentario per honorificum extat Card. Bentivolii testimonium (Memor. del C. Ben. L. 1. c. 8.) quibus addenda, quæ Lagomarsinus retulit in adnotationibus ad Lib. V. Gratiani de *Scriptis invita Minerva* (p. m. 162.) *Rarissimus est hic Liber, difficillimusq. inventu, dignus tamen, qui studiosorum, studiorumq. gratia recudatur:* quod ipse, ut sæpius affirmantem audivi, præstitisset, si diutius vivere contigisset; integram enim Operum Gratiani editionem meditabatur, qua tum editos jam libros, Amanuensium Typographorumq. vitio corruptos tum reliqua ipsius scripta, quæ nondum vulgata fuerant, proferret in publicum, quo nihil profecto ad Latinarum litterarum studia, quæ obsoletiora in dies fieri videmus fovenda, accomodatius poterat excogitari.

Illud tamen prætermitti non debet, Amerinam Synodum a Gratiano illius Urbis Episcopo habitam, editamq. paucis ab hinc annis a Cl. ejusdem Urbis Episcopo. Fabio, elegantiori ornatu fuisse Romæ editam, laudando certe consilio, quo ille, non Diœceseos suæ tantum utilitati, sed & aliis etiam consulere voluit, sanioris ac vere Catholicæ doctrinæ Codice vulgato, quo pestiferæ Pistoriensis Synodi ab Episcopo Riccio habitæ, & a Pio VI. omni jure damnatæ perniciem, opportuniori adhibito pharmaco ab hominum animis averteret.

Verum minime a me omittenda hoc loco est scripti cujusdam a Gratiano exarati recordatio, de quo gravior olim inter Historiæ Litterariæ Scriptores, & P. Casimirum Tempesti, ex Ordine Minorum Conventualium S. Francisci, Sixtique V. P. M. Historiæ Scriptorem certe probandum, est instituta disputatio, quæ doctorum judicia in contrarias partes deduxit. Humili, obscuroq. loco natum Felicem Perettum, qui postea dictus est Sixtus V. æterni nominis Pontifex, non ipse solum Gratianus, sed & Joannes Petrus Maffejus Soc. Jesu egregius ille Latinitatis cultor affirmaverat *Libro primo Historiarum ab excessu Gregorii XIII. P. M.* Felicem Perectum scribens in Picentibus humili natum loco.

Porro cum Maffeius usque ad annum MDCIII. vixerit, vera de Sixto narrasse nemo ambiget; ea enim Maffejus ætate vixit, qua Sixtus Pontificatum tenuit, neque diligentissimum certe Scriptorem hac in re, vel errore deceptum, vel turpissime mentitum possumus suspicari, cum præsertim Clementis VIII. P. M. jussu ad Historiam; ab obitu Gregorii XIII, usque ad ipsius Clementis VIII. tempora producendam animum appulisset. (Vid. Vitam Maffeii a Serassio editam an. 1747.) Hoc tantum testimonio satis quidem probari possent, quæ de genere Sixti V. passim vulgata sunt. At validius ex ipsius Gratiani scriptis extare argumentum vidit Lagomarsinus, autographo Commentario Gratiani ipsius, de vita Sixti V. P. M. diligentius inspecto, in quo hæc a Gratiano scripta legebantur. *Sixto V. parentes probi homines, atque innocentes fuere, sed humiles adeo atque inopes, ut vitam quotidianæ operæ labore, & alieni parvique agri cultura tolerarent.* Hunc ego ipse sæpius inspexi Codicem, in quo certis in locis occurrebant a 1. usque ad 30 signati numeri, quibus aliquas, vel faciendas, vel etiam factas significari adnotationes merito suspicabatur Lagomarsinus: cum illi demum omnia perscrutanti, immensamq. Scriptorum molem rimanti, chartula tandem occurrit, in qua totidem descriptæ legebantur emendationes, iis prorsus respondentes numeris, quos in Gratiani Autographo observaverat, easque ab ipsomet Sixto V. additas inficiari nemo poterat, qui eas cum Autographis Sixti V. Epistolis, quæ apud Lagomarsinum erant, contulisset. Iis ergo, quæ de parentibus ac genere Sixti V. Gratianum scripsisse paulo ante significavi, hæc propria manu Sixtus addiderat; *quippe pavisse puerum paterni Heri pecus, & Picentes memorant, & ipse adeo non diffitetur, ut etiam præseferat, satis intelligens, nobilitatem posteris dare, quam a majoribus accipere magnificentius esse.* (n. 1. & 2.) Emendationes, additasq. enarrationes, alias, Historiæ Literariæ Scriptores retulere. Tom. IX. Lib. II. C. VIII.)

Jam vero additæ hæc ab ipsomet Sixto adnotationes apertissime probant, oblatum tanto Pontifici ab ipsomet Gratiano Commentarium fuisse, quo Sixti emendatus, pro-

batusq. judicio, securius ab ipsomet Gratiano evulgari posset, salvis Historiæ conscribendæ legibus, quarum præcipuæ sunt, ne quid falsi scriptor dicere audeat, neq. quid veri non audeat. (Cicer. de Orat. Lib. II. C. XV.) Quæ cum Lagomarsinus Patri Casimiro Tempesti, datis ad eum humanitatis plenissimis litteris significanda censuisset, gratum sibi tanti viri studium in opere illo suo augendo fuisse respondit, at plenam iis testimoniis haberi posse fidem denegavit; ficta enim illa, vel incerta admodum sibi visa esse, nec tanti ponderis ut ab adserta Sixti V. avita nobilitate recederet, cum contrario ipsius Sixti Autographo, quæ Lagomarsinus protulerat documenta refelli possent, quæ, quam vere ab Tempestio scripta sint, meum hic non est, longa oratione dijudicare, cum præsertim ab Authoribus Historiæ Litterariæ, quos supra indicavi, uberiori sint hæc disputatione tractata, dubiaq. omnia Patris Casimiri, objectaque ab ipso argumenta plene soluta. *(Georgius)*

(21) *Ad Epistolas Pogiani &c.* Ex copiosa illa a Gratianis Lagomarsino tradita Scriptorum supellectili, Pogiani Epistolæ prodierunt, quas incredibili labore, studio, impensisque collegit, illustravit, ornavit ediditq. Salomonianis Typis Romæ Lagomarsinus. Atque hoc illud opus est, de quo Facciolatus, aliiq. doctissimi ætatis nostræ viri, ea vera cum laude scripserunt, quæ Parthenius retulit in Commentario suo: quin illud quoque addi posse confirmo; ut omnia a Lagomarsino edita Opera laudare quis velit, cæteris tamen omnibus hoc unum esse præferendum udicabit. Nam, ut omittam selectissima monumenta, quibus mirifice illustrari Concilii Tridentini Historia potest, nullam fere laudatarum artium omnem Classem esse profiteor, cujus non se peritissimum ostenderit: Grammaticam, Dialecticam, Physicam, morum Scientiam, Naturæ historiam, politicam, locorum descriptionem, temporum ordinandorum scientiam, Theologiam, omnigenam denique (ut paucis complectar omnia) eruditionem ita complexus est, ut si Lagomarsini *adnotationes* separatim a Pogiani Epistolis edere quis vellet, egregium sane opus exstaret, quod cum *variis Lectionibus*, *Miscellaneisq.* Politiani, Mureti, Victo-

rii, Alexandri ab Alexandro comparari merito posset, & in aliquibus fortasse etiam anteferri. Commodum vero mihi accidit ut in Romano Collegio, Philosophiæ & Theologiæ cursum arriperem, cum Lagomarsinus in tam eximio opere concinnando detinebatur; mea enim opera in levioribus quibusdam exquirendis parandisque rebus ita uti solebat, ut subsecivis horis, quasi librarium quemdam haberet ad manum; quo factum est, ut ejusdem non solum domicilii convictusque socius, sed suorum etiam studiorum operarius quidam adsiduus, ita illi probaverim diligentiam meam, ut quantum ipse possem & vellem de studiis suis, in meam utilitatem converterem. (*Georgius*)

(22) *Gabrielus Faern* &c. Quod Gabrielem Faernum Cremonensem, suavissimum hominem atq. doctissimum a plagii crimine vindicaverit Lagomarsinus, summopere gaudeo: at, utinam a M. Antonii Mureti immerita in eum incusatione vindicasset? Is enim *Variarum Lectionum* Lib. XV, c. 17. (Edit. Veron. p. m. 402.) hæc de Faerno scripserat: *Gabriel Faernus, homo Latinæ linguæ non ignarus, sed Græcæ prorsus expers; neq. hoc dethraendi studio dico; ita esse sciunt, quibus ille notus fuit, neq. id ipse diffitebatur* &c.

Quod *expertem prorsus* Græcæ linguæ Faernum dixeris, id tibi, Murete, affirmanti, & Faerno ipsi hoc de se, ut tute dicis, confitenti non invitus assentiar: quamquam, qui fieri potuit, ut Græcæ linguæ *prorsus expers* id opus aggrederetur, quod a *prorsus experte linguæ Græcæ*, perfici numquam potuisset? Illa enim de Faerni Fabulis Silvius Antonianus in Epistola Nuncupatoria ad Carolum Cardinalem Borromæum scripsit: *Is.* (Faernus) *ex Æsopo, egregio & antiquissimo Auctore plurimas fabulas, nonnullas etiam ex diversis Græcis* (at Græcæ linguæ erat ille, Mureto teste, *prorsus expers.*) *carminibus elegantissimis*) homo tamen Latinæ linguæ tantum, Mureto teste, *non ignarus*) *explicavit, non ut interpres verba, sed ut Poeta sententias, verum, acumen, leporem illum exprimens &c.* quod a *prorsus experte linguæ Græcæ* confici potuisse, mirum est.

Quod vero *elegantissimum* Latinæ linguæ Scriptorem,

qualem & Silvius Antonianus, aliiq. ætatis illius doctissimi viri, Faernum prædicarunt, Latinæ linguæ tantum *non ignarum* (quod minimum certe in omni laude est) dixeris, id tibi asserenti, Murete doctissime, numquam concedam. Quin tu ipse, qui Latinæ linguæ *non ignarum* Faernum dixeras, eumdem quoque, *Elegantissimum Latinarum Fabularum Scripsorem*, alio in loco, Faernum prædicas. Nam in Oratione illa tua quam *De vi ac ratione tradendarum* Romæ habuisti, hæc de eodem Faerno pronunciasti: *nisi quis easdem Fabulas* (Æsopi) *ab optimo & eruditissimo Faerno* (*Græcæ* tamen *linguæ prorsus experte disciplinarum Latinis versibus elegantissimis expressas, illi ætati præferendas putet*. (V. Oper. Muret. T. II. Orat. XXV.) Potestne, quæso, linguæ alicujus *non ignarus tantum*, videri, qui *elegantissimorum versuum* in eadem lingua Scriptor a doctissimis viris habeatur? Poterat ne sic appellari a te, homo doctissimus, qui ætatem suam in Livii, Terentii, aliorumq. Latinorum Scriptorum Codicibus examinandis, emendandisq. contriverat, cum vel mediocribus etiam ingeniis contingere soleat, quod de se Græcos Scriptores legente apud Tullium confirmavit Antonius, *ut cum in Sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen ut colorer, sic cum istos Libros* (Græcos scilicet) *studiosius legerim, sentio orationem meam illorum quasi cantu colorari*. (de Orat. Lib. II. c. XIV.) At ii demum quibus, vel Faernus ipse, vel ejus scripta cognita fuere, non ita de illo, ac tu, Murete, judicarunt. Horum vero præclara testimonia, protulit in nitidissima Fabularum Faerni editione, quam Patavii Cominianis Typis perfici curavit An. *MDCCXXX* Joannes Antonius Vulpius, Philologorum ætatis suæ merito Princeps habitus, qui Litterariam rempublicam, tum suis, tum aliorum doctissimorum Auctorum scriptis mirifice locupletavit. Quam vero Faernus, tum propter suavissimos mores, tum ob præstantem in latinis explicandis scriptoribus facultatem, fuerit Romæ, alibique in omnium amore ac deliciis, intelliget lector ex Latini Latinii Viterbiensis doctissimi Epistola ad Masium, quam protulit Lagomarsinus in adnotationibus ad Epistolam Pogiani centesimam nonam (Tom. II. p. m. 187.) (*Georgius*)

(23) *Tres de Re Rustica* &c. De his, hæc adnotarunt diligentissimi *Annalium Litterariæ reip.* Italici scriptores, ubi de *imperfectis*, neq. adhuc *editis* libris, est ab iis sermo institutus. I. *Una nuova Edizione degli antichi Autori*, de Re Rustica. *Il P. Lagomarsini aveva a tal fine con gran fatica collazionati varj testi a penna dalle Librerie di Firenze, ed era convenuto col Pontedera, che non uscendo (siccome uscita non è) la progettata edizione, si mandasse la ristampa di Lipsia colle aggiunte delle varie lezioni alla libreria del Collegio Romano.* (Annal. Lett. d'Ital. Vol. II. Lib. III. c. VI.) Quid vero, re sic cum Pontedera transacta, actum sit, me plane latet. (*Georgius*)

(24) *Exortæ sunt Florentiæ turbæ* ec. Imo *bellum plus quam civile* cum Lucano dicerem, quo *datum invidiæ jus* in probatissimos quosque convicia jaculandi, doctorumq. calamos in *sæva conversos vulnera* vidimus, eo contentionis genere, in quo, cum non veritas disputando quæratur, sed invidia, aliorum laudis inimica contumeliosa obtrectatione depugnet, nihil est litterariæ Societati perniciosius, nihil ab officio alienum magis, nihil quod majori studio, quo possunt, vitare litterati homines debeant, si salvam litterariam remp. velint. In perpetua vero hujus certaminis narratione, nihil non veri a Parthenio scriptum est, at mendaciz non pauca, duobus illis inserta Voluminibus, quæ ignotis Typis (fortasse Lucensibus) anno MDCCLXI. vulgata sunt: *Raccolta di composizioni diverse sopra alcune Controversie Letterarie insorte nella Toscana nel presente secolo.* Nam cum prima tot malorum labes ex male intellecta Præfatione quadam *a P. della Briga* S. I. novæ Editioni *Philosophiæ Novo-Antiquæ P. Thomæ Ceva* ex eadem Societate præfixa exorta sit, qua se (licet immerito) graviter læsos Academiæ Pisanæ Doctores quidam questi sunt, hinc doctissimus Pater Abbas Grandi ab Anonymo horum Voluminum editore, auctor scripti illius effingitur, quod primum belli hujusce signum elatum dixerim, editumq. hoc titulo fuit: *Alphæi Diacrisis in secundam editionem Philosophiæ Novo-Antiquæ R. P. Thomæ Cevæ, cum Notis Jani Valerii Pansii:* At Diacriseos istius Autorem Grandium

fuisse, plane non constat, immo & ab hoc scriptionis genere alienissimum fuisse constabit, si quæ ab Auctoribus Historiæ Litterariæ adnotata sunt, vacuo a præjudiciis animo perlegantur (V. Histor. Litt. Tom. I. Lib. III. c. V.). Tunc prodiere celeberrimi illi „ *L. Sectani Q. Filii ad Cajum Salmorium Sermones quatuor cum M. Philocardii quibusdam adnotationibus*, quibus Litterarium hoc bellum ferocius exarsit, dum in eorum sermonum Authorem, quem P. Pompejum Venturi, falso tamen, pleriq. opinabantur (fuerat vero Julius Cordara S. I. Florentia tamen eo tempore absens) & in Adnotationum scriptorem, qui vere Lagomarsinus fuerat (atque utinam non fuisset!) literatorum Florentinorum bilis excanduit, tamquam in audacissimos, clarissimorum hominum, qui tum Florentiæ, tum Pisis eruditionis fama florebant obtrectatores, qui sub fictis a Sectano nominibus, eosdem clarissimos viros (vaticinando id potius, quam probando, dictitantes) contumeliis incessere ausi essent; atque hinc impudentissima illa obscœnaq. Poemata „ *Pifferi di montagna* „ *Il Fariseo Moderno*, aliaque id genus, ex omnium conviciorum, scurriliumq. jocorum face collecta, quibus, cum non tantum suam, sed & totius Societatis lacerari famam, tum Cordara, tum Lagomarsinus agnoscerent, haud sibi ultra silendum, in communi discrimine rati sunt, novissimusq. a Cordara Sermo editus, cujus initium „ *Mens erat Arcadio suspendere spicula trunco &c.* quem novis enarrationibus Lagomarsinus, sub ejudem *Philocardii* nomine auxit, quibus adversariorum audacia retusa, & qua, iisdem etiam temporibus, non Florentiæ modo, sed in tota Europa, depressa ab invidis Societas, doctrinæ ac probitatis laude floreret, perhonorificis Academiarum, clarissimorumq. Principum testimoniis evincere studuerunt; quo in certamine, si quid asperius ab utroque Autore in Societatis obtrectatores scriptum est, justo id dolori ignoscendum æqui Lectores judicabunt, cum præsertim ab adversariis lacessiti, quæ ab iis in Societatem jacta fuerant spicula, e sinu Matris evellere, & in adversarios retorquere coacti sint. (*Georgius*)

(25) *Noctium Sarmaticarum Vigilia* &c. Harum Auctor fuit

fuit P. Ubaldus Mignonius Clericus Regularis Scholarum Piarum, idem ipse, qui ut Parthenius refert, luculentissimum testimonium de Historiæ Societatis & sextæ Partis Tomo priori a Cordara edito dederat, quo magnificentius ab ullo Jesuita expectari non poterat: nam ut omittam, quæ de ipso Historiæ Scriptore vera cum laude prædicavit, hæc ille de tota Societate pronuntiavit „ *Hanc vero Soc. Historiam si quis virorum Apostolicorum ad magna quæque & ardua pro Dei gloria adspirantium Theatrum amplissimum, & Triumphum dicat, quam minus dixerit, detrahet Veritati; &c.* (V. His. Soc. I. Par. VI. Tom. Prior.) Non ergo ab homine Jesuitis infenso prodierant *Vigiliæ* illæ; neque perpetuo in Opere ulla in Societatem occurrent injecta crimina: totus enim illarum *Vigiliarum* Scriptor est in laudandis suæ Sodalitatis Scriptoribus, quos de Latina Lingua egregie meritos, tot, sive Lexicis, sive Grammaticis Institutionibus editis judicavit, eo studio incensus, quo ferri in rebus suis tuendis fovendisq. homines solent; quoque Lagomarsinus ipse, in tuenda ornandaq. Societate sua, mirifice incendebatur. At cum illo in Libro Dragonettum quemdam, quem suis etiam Sodalibus adscriptum putavit Mignonius, quemq. Emmanuelis Alvari Magistrum se jactantem Petrus de Valle, qui eum Romæ Grammaticam docentem devexa jam ætate cognoverat, Mignonius effusisse laudasset, minime hoc ferendum duxit Lagomarsinus, qui Alvari sui famam obscurari ex iis, quæ narrabantur merito coniiciebat, fuitq. hæc præcipua ratio, quæ illum ad eam *Epistolam* sane lepidam conscribendam impulit, in qua, *Judicium fertur de aliquot locis Operis inscripti: Noctium Sarmaticarum vigiliæ, Anno MDCCLI editi.* (Edit. Bonon. post Polonicam, & Germanicam tertia, An. 1753). Hac ergo in Epistola, non fuit eo contentus, quod ad Alvari famam tuendam satis esse videbatur, ut Mignonii nempe in commentitia fabella, de Dragonetto Sodali, deq. Alvaro Dragonetti discipulo referenda, errorem potius, quam mendacium ostenderet, sed in re per quam tenui, adeo ultra modum concitato studio abreptus est, ut Operi toti ejusq. Autori implacabili bello indicto, ita eum exa-

gitarit, ut nullam in illo partem, a lepidissima quidem ac simul acerrima censura immunem esse pateretur; qua in re, cum alia ob merita laudandum Lagomarsinum censeam, in *hac certe non Laudo*. (*Georgius*)

(26) *Editorem Epistolarum S. Teresiæ &c.* Designari hic puto R. P. Fridericum a S. Antonio Carmelitam Excalceatum, qui pleniorem Vitæ atq. Operum S. Teresiæ Editionem Tribus Voluminibus comprehensam vulgavit Anno *MDCCLV* Venetiis, eamq. Benedicto XIV. P. M. nuncupavit. Epistolam vero, de qua Parthenius memorat, leges „ *nell' aggiunta di alcune nuove lettere di S. Teresa* (Tom. III. p. m. 225.) eaq. est, quam ad Canonicum Reinosum dederat Sanctissima Virgo, cujus Authographum in Palentina Cathedrali Ecclesia summa religione adservatum testatur idem P. Fridericus editor, quamq. prolixis, nec Societati certe injuriosis adnotationibus locupletavit; ratus enim de Societate Jesu, Sanctissimam Virginem ea in Epistola vere conquestam, quod ipsius aliquos alumnos sibi adversari comperisset, non esse idcirco in universæ Societatis (quam tot exornarat laudibus piissima Virgo) culpam referendum, quod vel temeritate, vel imprudentia paucorum gestum esset, prudentissime judicavit. At neque ad paucos licet Societatis alumnos, illatas Sanctissimæ Virgini injurias pertinere apertissimis edocuit testimoniis argumentisq. Lagomarsinus, quæ a Parthenio indicata, recentissimo in Libro ab doctissimo Auctore conscripto, Parmensibusq. Typis edito, magnam partem evulgata sunt. Neque hic omittam quæ ab ipso Lagomarsino audivi, dum in Epistola hac perpendenda illustrandaque laborabat, tantum scilicet ad Societatis famam obscurandam, ejusque excidium maturandum præsidii Societatis inimicos illa in Epistola posuisse, ut omni studio contenderint Autographum ipsum Romam traduci, quo de judicio Sanctissimæ Virginis, in maximum Societatis dedecus, plane constaret. Num vero id factum sit, plane ignoro.

Nec tamen mirum hoc videri debet: ut enim labentem jam Sodalitatem, tamquam *parietem inclinatum*, *maceriamq. depulsam* (Psal. 61. 4.) validiori impulsu illi proruerent,

Sanctissimorum hominum votis suas respondere machinationes gloriabantur. Atque ut omittam innumera pene crimina, quæ ex aliis clarorum hominum libris, Epistolisque Jesuitis objecta sunt, quis est qui nesciat, quo studio in causæ hujusce præsidium sint ab Societatis hostibus, non solum S. Teresiæ, sed & Cardinalis Sanctissimi Caroli Borromæi sinistra (ut iis videbantur) judicia vulgata, quo Societati adversum egregium illum Præsulem adstruerent, qui fuerat semper Societati addictissimus; neque vero esse non poterat, cum ipsius alumno Joanni Baptistæ Riberæ, quem Romæ familiarissimum habuit, initum a se consilium deberet, Romanæ Aulæ relinquendæ, Mediolanumq. transmigrandi, quo tot solutus impedimentis, divinis se totum manciparet obsequiis commissiq. sibi gregis bono consuleret; quod etsi *Pio IV.* P. M. ejus Patruo, si non plane invito, certe tamen minus probante ita contigit, ut alienior idcirco, Aulicorum Jesuitas incusantium sermonibus incitatus, a Societatis hominibus aliquandiu fuerit, re tamen pacatiori perpensa judicio, excitatus ille in Riberam Jesuitasq. turbo ita disjectus est, ut placato Pontificis animo, & ad pristinam benevolentiam converso, omnia ad plenam tranquillitatem reducta sint (V. Lagomarsinum in Not. ad Pogian. Ep. LXI. Vol. III. p. m. 365.)

At non hoc tantum Societatis hostes fuere contenti, ut Sanctissimos homines Jesuitis infensos jactarent, eo est obtrectatorum provecta audacia ut Sanctissimis etiam hominibus infensos Jesuitas traducerent, cum turbarum omnium, quæ in SS. *Josephum Calasanctium* Clericorum Regularium Piarum scholarum Parentem, Romæ excitatæ sunt, præcipuum Authorem Patrem Petrasancta Jesuitam confingerent, atque inde, nova oblata Lagomarsino, Societatis a tam indigna criminatione vindicandæ occasio, de qua nihil commemorasse Parthenium miror, cum copiosam, paucisque diebus ab illo exaratam Disquisitionem legerim, qua illatam Petrasanctæ Societatiq. universæ calumniam non solum validissime propulsavit, sed & in certos quosdam homines, qui Sanctissimum Patrem, præ cæ-

teris colere ac vereri debuerant, totius impiæ conjurationis culpam infamiamq. rejecerit.

Non latuere Lagomarsinum, obtrectatorum Societatis machinationes dolique, unoque obtutu, quo ipsorum consilia tenderent pervidentem, ardentissimus in Societatem amor perpulit, ut laboriosissimum, at Societati perhonorificum opus aggrederetur, de quo numero C & seq. hujusce Commentarii plura retulit Parthenius noster; hoc vero in Opere, excitatis ad illud juvandum, augendumq. plurium Jesuitarum, qui Romæ degebant studiis, illud sibi proposuit, & summa etiam diligentia ac celeritate perfecit Lagomarsinus, ut virorum omnium, qui doctrina ac sanctitate floruerant ab ortu Societatis usque ad nostra hæc tempora, honorificentissima de Societate testimonia, simul collecta proferret, iisq. concinne apteque dispositis integram quasi Bibliothecam conficeret, ut eam percurrentibus, uno quasi intuitu pateret, saniorem humani generis partem bene semper de Societate Jesu sensisse; quod egregio etiam Scriptori visum fuerat, qui se, multa legendo id deprehendisse confirmabat, ab hæreticis, impiisq. hominibus Societatem Jesu plerumq. male habitam, quibus ii sese adjungere solent, qui vel ingenii tarditate, pecudum more, eorum quos coeco instinctu sequuntur, vestigiis insistunt, vel invidiæ æstu perciti eorum, quos transverso intuentur oculo, volunt inimicitiis clarescere; nec mirum hoc, aut incredibile, hominum noscenti naturam videri debet; nam, ut ab omnibus virtus vera noscatur laudeturque, optari quidem, at sperari (hisce præsertim temporibus) omnino non potest: satis quidem, imo permagnum est, ut sapientibus placeat, improbisq. tantum displiceat: hoc nempe illud summum est, quo malevolorum calumniis vexata, aspirare tandem possit, ut recte factorum nempe conscientia, & proborum laudantium judicio sese tueatur, atque in hoc quasi portu secura conquiescat.

Verum quod in Lagomarsini præclaro Opere percurrendo (in quod tum Carrara, tum ego ipse, aliique sodales

symbolam contulimus nostram) mirifice me delectavit, constans illa fuit tot Religiosorum Ordinum in Societate ornanda tuendaq. benevolentia, quam non idcirco, vel extinctam, vel debilitatam quisquam judicaverit, quod ex iis identidem audaciores aliqui prodierint, qui vel invidia, vel arrogantia, vel studio partium abrepti, tum voce, tum scriptis Societatis famam proscindere ausi sunt: aliud enim ab æquo rerum æstimatore de integra quadam familia, aliud de quibusdam, quibus illa constet personis habendum judicium, neque in integrum referenda corpus, quæ vel invidiose, vel imprudenter fuerint ab aliquo vel gesta, vel scripta, quum præsertim non omnia qui præsunt vel præcavere, vel castigare severius queant, debeantq. sæpius cum Joanne Apostolo de quibusdam, a recto flectentibus tramite profiteri: *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si essent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (Ep. I. c. 2. v. 19.) (*Georgius*).

(27) *Scriptor quidam, cujus nomini parco* ec. Quamquam in contentione tota jam Europæ vulgatissima, nulla est jam ratio eorum reticendi nomina, qui Theologico hoc in bello clarescere voluerunt, in quo præcipui ductores fuere *Fr. Daniel Concina*: *Fr. Vincentius Patuzzius*: *Fr. Vincentius Maria Dinellius* (is idem cujus nomini velle se parcere Parthenius profitetur) Dominicani, hi omnes, ingenio certe doctrinaq. præstantes, qui in acerrima illa, *De usu probabilium opinionum*, ubi de moribus agi contingat controversia, Jesuitas fere omnes (silentio tamen prætermissis iis Dominicanis suis, qui antequam id Jesuitæ molirentur, *Probabilismi* ut ajunt, semina sparserant) tamquam laxioris doctrinæ propugnatores traducere conati sunt. Qua in contentione, quam vel numquam excitari vel statim extingui melius fuisset, non negaverim concitata ultra modum Theologorum inter se dimicantium studia, doctissimos ex utraque familia, tam Dominicana, quam Jesuitica viros ab utilioribus studiis abstractos, in salebrosa hæc loca impulisse, quibus auctæ inter eos simultates, dissociare eorum animos potuere, qui collato studio, junctisq. viribus comunem Religionis Catholicæq. Fidei causam de-

fendere feliciori, ut antea eventu, saniorique consilio potuissent ; At illud , ad aliquam Jesuitarum defensionem omitti non potest , eos nimirum ab adversariis , ac præcipue a *Daniele Concina* totius pugnæ Antesignano provocatos in arenam venisse , cumq. exultantem illum nova quadam parta victoria animadverterent , atque in Societatis universæ infamiam , inita ab eo certamina vertere molientem , evulgatis , tam ab eo , quam a sociis suis libellis non paucis , quibus Societatis Theologos non paucos , eosq. celeberrimos , laxioris , ac prope dissolutæ Theologiæ lue infectos criminabantur , illatam injuriam , qua totius Ordinis fama periclitabatur , minime dissimulandam censuerunt , ne penitus a Societatis ministeriis homines arcerentur , atque inde confertum illud agmen in comunis causæ patrocinium eductum , ea quo Ghezzii illi , Bovii , Lecchii , Ballæ , Gagnæ aliiq. plures in retundenda adversariorum procacitate adlaborarunt : qua in contentione *Caroli Noceti* , doctissimi hominis , præcipue studium eluxit , qui edito parvo quidem , at eruditissimo Libro , Theologorum Societatis doctrinam Concinianis calumniis , mendaciisq. deformatam , adeoq. ipsam *Veritatem* voluit ab se *vindicatam*. Prodiit , prima hujus Libri pars , Lucensibus typis : Edito vix Noceti libro , dici vix potest , quam , instaurato bello , evaserit pugna ferocior , una , alteraq. Epistola a Fr. *Vincentio Dinellio* , Concinæ altero quodam Achate fidissimo , vulgatis contra Nocetum , an. 1755-1756. Quarum hic Parthenius meminit , & nonnulla etiam attigit Lagomarsinus in adnotationibus ad Pogiani Epistolas , (Vol. I. pag. m. 232 , & seq.)

At non idcirco quod aliqui inter Dominicanos extiterint , quorum fuerit a Jesuitis aversus animus , minus Societati Jesu faventem præclarissimum hunc Ordinem judicabimus. Multa enim in Parentem ipsum Societatis Ignatium a Dominicanis profecta merita , tum in Hispania tum Romæ historici memorant , quæ nulla umquam inobscurabit oblivio ; & si quis eorum qui scriptis suis Societatis famam obterere conati sunt vel numerum , vel autoritatem , cum iis qui eodem ex Ordine , tam bene de Socie-

tate senserunt comparare voluerit, quisnam erit, per Deum immortalem, qui vel Melchioris Cani (qui tam a Jesuitis alienus fuit, ut eos Antichristi asseclas diceret) vel Concinæ, vel Dinellii, vel Patuzii, aliorumq. hujus generis hominum, in Societatem congestas criminationes, perhonorificis a B. Joanne Micone Ordinis ipsius præclaro lumine, a S. Ludovico Bertrando, a Ven. Aloysio Granatensi, & a Sanctissimis Pontificibus Pio V. & Benedicto XIII prolatis testimoniis judiciisq. anteponat?

Proferam hic quæ de benevolo B. Joannis Miconis, & S. Ludovici Bertrandii in Societatem animo refert Orlandinus noster: *Cui rei* (Valentino scilicet Collegio instruendo) *non exiguo adjumento erat B. Joannis Miconis authoritas doctissimi ex Dominicana familia Theologi, qui perditos interdum homines implicatissimæ conscientiæ, cum sani esse cœpissent, & suos componere mores induxissent, auxilii consiliiq. causa mittebat ad nostros, majori cum Societatis laude, quam referre modestum sit.* (Id profecto Melchic ille Canus minime probasset, qui *Antichristos* totidem in Jesuitis agnoscebat, neque Concina, Dinelliusq. tolerandum ducerent, quum jam *Probabilismi* lues, Societatis via omnes corrupisset) at Orlandinum reliqua narrantem audiamus: *Insignis vir ille* (B. Joannes) *magnopere Societati existimationi, dum & a malevolorum obtrectationibus ea vindicat, & ejus palam usu crebraque consuetudine tenetur, sua autoritate consuluit: omnino delectabatur sanctissimus Senex nostris rebus, nostrisq. progressibus, ac si suis ex nostris esset*, ec. Hæc de B. Micone Orlandinus, quibus non dissimilia de B. Ludovico Bertrando, narravit. (Hist. Soc. Jes. Lib. XIV. n. 69) De Sanctissimo vero Pontifice *Pio V.* multa retulit Antonius Maria Bonuccius S. J. e in libello, quem sæpius Romæ, & summa cum voluptate perlegi: *De favori e privilegj concessi da S. Pio V alla Compagnia di Gesù*: Romanis certe Typis, at quibus editus hic liber fuerit, plane non memini. At hic ea solum referam ex Sacchinii Historia quibus plane constet, non fautorem modo, sed & alterum Societatis Parentem Sanctissimum hunc Pontificem extitisse. Nam ut omittam,

qua ille benignitate non solum, sed & paterno quodam amore tum *Franciscum Borgiam* tertium ab Ignatio Soc. Præsidem, tum *Franciscum Toletum* (qui postea Cardinalis fuit a Clemente VIII renunciatus, & a Pio V. Sacris concionibus habendis in ipsa Apostolica Aula ad plures annos addictus) amantissime amplexus fuerit, illud certe memoratu dignum videtur, quod maxime valet ad dignoscendum, quam sit latum apertumq. discrimen inter eas contentiones, quibus solo veritatis amore ducti, Sanctissimi homines inter sese aliquando dissentiunt, acerrimasq. illas simultates, quas invidiosi homines, vel odio in virtutem, vel partium studio abrepti excitare impudenter, & intolerabili tueri procacitate non cessant. Nam cum inito Pontificatu quædam Instituti Societatis capita, quæ cæterorum Ordinum moribus minus conformia Pio videbantur, ex numquam admissa Chori disciplina, simplicibusq. tantum votis exacto Tirocinii biennio nuncupatis, atq. in ongius solemni Professione producta ita ut libera esset Societati alumnos suos, etiam Sacerdotio initiatos, dimittendi facultas, tanquam sibi minus vel probata, vel prspecta, maturiori examine perpendi jussisset, dicto pamtem, ut debuerat Borgiam habuit, qui de tota re Carinalis Concilio Tridentino interpretando Præpositos docu, qui re ad Pontificem delata, neq. urgendum amplius Bgiam ad Chori disciplinam censuerunt, neq. ullam in Vtis simplicibus, quibus se Societati obstringebant juvene, quin se ad eos retinendos Societas obligaret, injustæ coventionis labem deprehendi; quæ cum Pius probasset, unum servari voluit, ut, qui Sacerdotio essent initiand trium tantum Votorum solemnem Professionem emitt rent, quod Borgia, atq. ejus successor Aquaviva in tota juss Societate servari, quamquam Romanorum Pontificum q Sixto V. successere judicio, fuerit hac etiam in re, ant quior disciplina restituta. *Hæc autem dum fiunt ... miru est* (pergit Sacchinius) *rumores quam circum multi, va riiq., & quanto cum strepitu volitarent. Hi Pontificem r formandos suscepisse Jesuitas ajebant: illi proprium gen vestium & cucullam velle eis injicere: quidam Collegia re*

ditibus spoliare: alii totum Ordinem velle extinguere, in eumq. conscriptos in veterum quempiam, ac nominatim Augustianorum transcribere... Quæ cum Franciscus Patiecus Cardinalis, rogatu Borgiæ, retulisset Pontifici, is ut pio ducebatur consilio... exclamasse in hæc verba fertur: Absit a Nobis hoc peccatum grande: dum ita vivent, non est quod negotium quisquam eis facessat; sed ut favorem potius, atq. patrocinium accomodet, quo, secundum vitæ suæ formam servitio se divino impendant. (Sacchin. Hist. Soc. Jes. P. III. Lib. III. Num. 38). At quæ Pii V. non solum benevolum in Societatem, sed vacuum omnino a motibus animum, seu potius divino quodam afflatu sibi ipsi imperantem ostendunt, illa sunt, quæ de Benedicto Palmio idem Sacchinius refert; nam cum Conciones coram Pontifice Pio toto anno continuasset, adventante jam majoris jejunii tempore, ab eodem Pontifice impetravit Borgia, ut Neapolim mitti Palmium, ad idem exercendum munus annueret: multorum enim Civium, & Cardinalis præsertim Aragonii votis expetebatur; quod cum libentissime Pius concessisset, Salmeronem primum, mox Franciscum Toletum, Theologiæ tunc temporis in Romano Collegio interpretem, Pio probante, in Pontificii concionatoris munere absenti Palmio substituit. At, quæ tum fuerint de Palmii profectione tum otiosorum, tum invidorum per eos dies judicia a Sacchinio discamus: *Visus erat non paucis, ultra convenientem verecundiam eo loco* (in Sacello Pontificio, in quo haberi conciones solent) *vitia Palmius castigasse vehementer ac libere, nec abfuit suspicio, propterea fuisse summotum: cum illum item constaret relictum a Pontifice* (Pio V. ex Dominicana familia) *in media concione de Concepta Deipara disputantem. Sed, (quamquam fortasse Borgiæ, ea quoque fuit causa hominis liberandi, ne qua Societati conflaretur invidia) tamen creditur a Pontifice postea repetitus. Nam & statim de Conceptæ Virginis disputatione satisfactum sibi professus est, aures suas accusans, quas verba quædam dicentis fugissent, & de libertate illa sibi loquentibus, respondebat: hanc nos volumus Concionatoribus nostris fiduciam esse; idcirco advocavimus,*

ut extra dissimulationem, Nos, & Vos de officio vestro commonefaciat. Quin adeo acerrimam de ambitione concionem (a Palmio habitam) *ita probavit, ut statim Diploma adversus ambientes summum Pontificatum ediderit.* (Sacch. Hist. P. III. Lib. V. n. 36, 37).

De Benedicto XIII. vero, non est quod plura scribendo commemorem, quem nostra pene ætate Societatem benigne foventem Roma conspexit. Nam primo, Tusculanæ Ecclesiæ inito Suburbicario Episcopatu, nostrorum regimini Clericorum suorum Seminarium commendavit, mox ad Summum Pontificatum evectus, Angelicum, ut ita loquar, *Stanislai Kostkæ & Aloysii Gongagæ* par, uno eodemque judicio in Sanctorum referri album decrevit; tum nostrorum non paucos, & hos inter Conceptium Carocium de B. Virgine in Templo Societatis quolibet recurrente Sabatho sermones habentem, carissimum habuit, autorq. illi fuit, ut familiares illos, de præcipuis B. V. imaginibus quæ Romæ coluntur sermones, suo nomine inscriptos in publicum ederet; tum nostros, quotquot Romæ degebant, quoties Theologico cursu jam prope confecto, Sacerdotio erant, juxta Societatis morem, initiandi, ad se turmatim advocatos, ipse idem Sanctissimus Pontifex inaugurare, quotannis consueverat, nec ante, tali affectos honore dimittere solebat, quam (ut a pluribus, quibus tantum hoc decus accesserat ipse audivi) ipsorum se precibus enixe commendaret, eosq. rogaret, ut Generali Præposito plurimam suis verbis salutem dicerent, tum (quod inauditum certe animi de se tam demisse sentientis exemplum est) non ante eis benedicere, ex more, soleret, quam ut iis gratias se maximas habere profiteretur, quod tanto se dignum honore judicassent.

Impressa Societati universæ inhæsere hæc SS. Pontificum, aliorumq. ex Dominicana Familia singularis benevolentiæ testimonia ad memoriam sempiternam, cum nostris hominibus plane constaret, adeo Ordinis istius in Societate fovenda tuendaque æstimari debere judicia, ut aliis etiam deficientibus, *omnium instar* (quod ille de Platone solo sibi adplaudente dicere solebat) tam præclari Ordinis

patrocinium haberi posset, quam ob causam Lagomarsinus ipse, ne ex impolita Dinellii cum Jesuitis agendi ratione suspicari quis posset aversum a Dominicanis nostrorum animum eos ad parem reddendam vicem scriptis suis impulisse, multa in adnotationibus ad Pogiani Epistolas de celebrioribus ætatis illius, ex Dominicano cœtu viris, ab ipsis etiam Dominicanis Scriptoribus vel ignorata, vel omissa protulit, *quæq. deinceps, ubi se occasio dederit, pari diligentia studioq. sum prolaturus: mihi enim potissimum, ac reliquis, qui insigni hac Societatis Jesu appellatione dignamur, dictum præceptumq. statuo quod omnibus universe Christianis D. N. Jesus Christus, dixit, atque præcepit; Diligite inimicos vestros*. Vide Lagomarsini adnotationem ad Epistolam Pogiani IX. Vol. IV. p. m. 175, unde hæc pauca excripsi. (*Georgius*)

(28) *Ac primo dicam de Editione Ciceroniana ec.* De hoc opere, quod propriam quasi Spartam coluit Lagomarsinus, nihil est addendum iis, quæ Parthenius retulit: hoc tantum ego, qui paratam ab eo triginta fere Voluminum molem sæpius tractavi Lectoribus confirmabo, Nullius neque prophani, neque Sacri Scriptoris editionem, etsi diligentissime elaboratam cum Lagomarsiniana Ciceronis editione posse conferri. At hoc ipsum est, quod nec prudentiores viri omnino probaverant, qui contractiori brevitate (innumeris implicatissimisq. omissis quæstiunculis tricisque) studiosorum commodo consuli potuisse censuerant, nec effrœni, ut ita dicam in Tullium amore perditus vidit ipse Lagomarsinus, qui omnia sibi tentanda, rimanda, perpendenda statuerat non solum, ut Tullii sui sensum, obscurioribus in locis assequeretur, verum etiam ut verbi etiam unius, ac syllabarum ipsarum vim, ordinemq. ita investigando, ac sæpe etiam vaticinando perquireret, ut quid Tullius scripserat, vel plane dignosceretur, vel probabiliori saltem conjectura posset a lectoribus judicari.

Qua in re Societatis ipsius Præpositi Generalis *Francisci Retzii*, pietatis, ac religiosarum virtutum omnium laude præstantis reprehensionem, ex alio tamen principio deductam non valuit effugere: nam cum illi incredibiles a se

susceptos labores, impensasq. pro Cicerone suo factas subsidii alicujus obtinendi spe ductus, longo sermone narrasset Lagomarsinus, nova certe atque inexpectata responsione est ab Retzio interclusa narratio, cum miserantis potius in morem ad Lagomarsinum conversus, *atqui* (ait ille, *non te pudet, Deus bone! operam tuam, in scriptis hominis inferni flammis addicto evolvendis, ornandisq. perdidisse?* Inexpectata hac Præsidis sui responsione, quasi fulminis ictu perculsus, hæsit omnino Lagomarsinus, atq. ut mihi narrare solebat, ne *hiscere quidem ausus:*

Demisi auriculas, ut iniquæ mensis asellus
Cum gravius dorso subit onus

Domumque reversus, ad suscepta jam studia, meam meiq. Ciceronis miseratus vicem fatumq. me revocavi.

Bono certe animo, etsi non æquo panter judicio, hæc Retzium dixisse putavi, qui Sacrorum Librorum scientiam ab nostris hominibus excolendam præcipue, & merito sane, judicabat; quæ tamen non ideo neglecta dici poterant, quod e tot millibus, unus tantum humaniorum Litterarum excolere impensius studia suscepisset, atq. in explicando expoliendoq. non Latinitatis solum sed & Eloquentiæ Principe laborandum sibi omni nisu censuisset; qua in re bono etiam Sociorum consuluit, qui Sacris habendis concionibus essent addicti. Ego enim sic existimo assiduam Ciceronis lectionem Sacris formandis oratoribus, non modo perutilem, sed prope esse necessariam, ut ea neglecta verendum maxime sit, ne ex illa dignitate, qua in hominum animos pervadere, iisq. dominari semper eloquentia potuit, suo quem tenebat loco depulsa, inanem quamdam verborum volubilitatem sibi videat anteferri; quod nostra hac ætate jam contigisse, dolendum est. Quis enim est, qui vetus illud, at hominum animis permovendis aptissimum dicendi genus, quo *Paulus* præsertim *Segnerus ille* præstitit, sectari studeat, cum senescere jam cum ejus memoria, veram germanamq. eloquentiæ formam videamus, solidoque orationis ornatu posthabito, novum

esse dicendi genus inductum, quo, vel remota a populi sensu captuque argumenta tractantur, vel inanibus puerilibusq. figmentis fucatæ orationes laudantur; atque inde illa in Verbi Dei ministerio facta conversio, ut ornate quidem, at non graviter copioseq. dicentem, non jam audientium clamores illi, suspiria, gemitus, lacrimæ, cæteriq. animorum motus, quos una excitare eloquentia potest, excipiant, at vani plausus, inanesq. acclamationes, & earum etiam rerum, quas nemo intellexit admiratio, nulla tamen morum facta conversione, consequantur. (*Georgius*)

(29) *Desperato Ciceronianæ Editionis ec.* De novo hoc Lagomarsinii Opere ad Societatis famam tuendam suscepto, plura jam retuli superiore num. 27: at nonnulla hic attexenda duxi, quæ ad Parthenii ipsius defensionem pertinere arbitror, ne de illius in Apostolicæ Sedis Decretis, ea qua par est, observantia excipiendis, dubitari umquam possit.

Gravem acerbumque, ut Parthenio, ita etiam Sodalibus cæteris accidisse Societatis interitum, nec mirum certe, nec nefas est, cum ab eo se statu vitæq. ratione deturbatos senserint, quam a prima ætate, ad vitam recte instituendam, jucundissimeq. traducendam, Patria, Parentibus, amicis, familiæq. comodis, generosa quadam virtute posthabitis secuti fuerant, in qua nulla sibi ad virtutem omnem sectandam adjumenta defuisse cognoverant, ut nonnisi humanitatis totius experti, ferreoque, ut sic loquar, homini, tantorum bonorum jactura, vel omnino jucunda vel nihil omnino acerba esse potuisset. Sit hoc ergo primum in suscepta Parthenii defensione, cui, si quæ, Societatis casum narranti, gravior querela excidisset, justo id potius dolori condonandum, quam protervitatis cujusdam crimini adscribendum esse videatur.

Jam ut ad ipsum Societatis fatum veniam, aliud certe *Clementis XIV.* in eo decernendo, aliud Societatis obtrectatorum in eo explicando consilium fuisse facile intelligemus. Pacis studiosum Pontificem iis, quorum potentiam minasque pertimescebat id esse concedendum judicavit,

quod iteratis votis jamdiu expetebant ut Societas ista, non jam, ut olim ipsis accepta, sed malevolorum fraudibus calumniisq. vexata, adeoq. ipsis circumventis invisa, de medio tandem tolleretur. Temporis beneficio excitatum incendium restingui posse prudentissimus Pontifex ratus, inducias sibi aliquot, tanto expediendo negotio, vitandoq., si fieri posset, discrimini quærendas constituit, quibus tamen, retardatum triennio fere, at non omnino prohibitum Societatis excidium fuit; illo enim elapso, anxium satis fluctuantemq. adhuc, in re gravissima Pontificem, eas in angustias adductum vidimus, ut cum neque ultra differre, neq. omnino negare, quod a Societate alieni homines exquirebant, sine magno ut ferebatur, periculo posset, eo tandem devenit, ut invitus quidem (ut pluribus visum est) at certe non lubens, neq. ex animi sui sententia, dissolvendam Societatem decerneret, nullo tamen, nec de ipsius Instituto, nec de singulorum, qui Societati fuerant adscripti prolato judicio, atque hac tantum producta causa, quod multorum querelis obnoxia, potentioribusq. jamdiu invisa, uberes illos fructus quos antea in Vinea Domini excolenda protulerat, edere amplius non posset, extremam hanc, impendentibus calamitatibus adhiberi medicinam necessarium prope videbatur, qua hominum ipsorum cœtu semoto, quos non amplius æquis oculis, qui tanto illos olim studio foverant, intuebantur, mitescere hac ratione hominum odia possent, dissidiorumq. occasione potius, quam causa sublata, expetita tandem tranquillitate Christiana respublica frueretur. Quis vero tam audax esse potest, qui Pontificis Maximi hac in re Decreta, vel in disquisitionem vocare, vel temere etiam reprobare non horreat, cum illud ex veteri Ecclesiæ disciplina institutisq. jam constet, Religiosorum Ordinum, quotquot sunt, statum rationemq. ita ex Apostolicæ Sedis judicio pendere, ut eos, non modo confirmare, sed & immutare, corrigere, & evellere etiam penitus, si Ecclesiæ bono id expedire judicaverit, merito possit? Neque vero hoc sibi umquam arrogavit Parthenius, ut judicium Clementis XIV. in delenda Societate reprehenderet, qui *præ-*

stolandum cum silentio salutare Dei sæpius monuerit, quin immo sæpius, me audiente, sodales suos inexpectatæ rei eventu perculsos ad plenam hortari obedientiam numquam omiserit, sanctissima illa inculcans verba: *Obmutui, quoniam tu fecisti?*

At cum inexpectato nec sane justo partæ victoriæ genere exultantes Societatis inimicos conspiceret, quis est, quæso, qui succensere Parthenio possit, si in amantissimæ Matris interitu susceptum jure dolorem solari tentaverit, earum rerum recordatione, quæ de Societatis Instituto Alumnisque, sanctissimi doctissimiq. viri jam antea scripserant, quo intolerandam illorum audaciam retunderet, qui hostili in Societatem odio incitati, tot eam calumniis conviciisq. incessere non desinebant, ac si de nefario quodam prædonum genere profligando Clemens XIV. cogitasset, a quo tamen nullum fuerat de Instituti sanctitate, nec de Alumnorum vita moribusq. prolatum judicium, qui non ita se a Jesuitis aversum præbuit, ut eos non paterna benignitate foveret, non ipsorum tranquillitati consuleret: quin neq. illos omnino a Sacrorum ministerio repellendos decreverit, sed Episcopis commendatos, ipsorum, si libuisset, in Vinea Domini excolenda opera uti posse declaraverit, quæ non paucis opinandi causa fuit, eum non abalienato prorsus a Jesuitis animo, sed temporum necessitate coactum, planeque invitum, consilium tollendæ Societatis suscepisse. (*Georgius*)

(30) *Et vero quantumvis minima ec.* Id vero plane constabit Lagomarsini scripta perpendenti, ac præsertim, quæ in *Dinellium*, Authoremq. *Noctium Sarmaticarum ec.* protulit, præcipue vero subtilissime ad Maffejum de *Meropes* quodam loco sibi minime probato scriptam Epistolam, de qua actum est N. 19. pag. 211. 215. Atque ut ab *ungue*, ut dici solet, *Leonem* discimus, ita in re tenuissima, cujus ego testis esse possum, quam ille mirifice acutus & perspicax in aliorum scriptis perpendendis judex fuerit, facile potest lector judicare. Ediderat Antonius Maria Ambrogius e nostra Societate, elegantem satis Poematum Virgilii, Italicis versibus explicatam interpretationem, quam Romanis Gene-

rosi Salomonii Typis splendide ornatam Carolo Emmanueli Sardiniæ Regi inscripserat : hanc ego cum audiente Lagomarsino, copiose laudarem, laudavit & ipse ; neq. enim non laudandus, tum verborum aptissimorum delectus, tum Hetruscæ linguæ nativus quidam succus ac nitor, tum numerosa verborum carminumq. conclusio, ut nihil pene de Virgiliana suavitate ac gravitate, Italica hac interpretatione diminutum detractumq. ab eo fuisse videatur. Hæc ego, cum Lagomarsino non repugnante, imo etiam consentiente commemorarem, *atqui* (inquit ille) *diligentiorem Ambrogium nostrum in latinorum verborum vi ponderanda interdum optare cogor, ne quid de illorum vi desiderari contingat, cum mutata quodammodo veste dare se in Italorum conspectum debeant: quod, ut uno tantum proposito exemplo, plane intelligas; Num Virgilii verba illa, quibus de equo e sinu telluris primum educto, cecinerat:*

„ Tuq. oh cui prima *frementem*
„ Fudit equum magno Tellus percussa Tridenti
„ Neptune ec. (Georgic I.)

apte tibi fideliterq. ab Ambrosio fuisse explicata videri possunt, cum frementem illum equum, spumas ore ejectantem ita descripsit:

„ *E tu o Nettuno*
„ Che col grave tridente percotendo
„ Alla gran Madre il sen fuor ne traesti
„ *Lo spumante destrier ec.*

Quid hoc, quæso, est spumis equum diffluentem dicere cui vix e gremio terræ educto, nulla adhuc in ore frena essent injecta, nullus adhuc, calcaribus admotis, datus ad currendum impulsus, ut sudore spumisq. totus albesceret, sed irrequietæ naturæ vi, qua, eodem Virgilio teste: stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus ec. in apertum immitti campum, quodammodo gestiat, quæ omnia aptius explicari poterant, verbo uno tantum adhibito, non *di*

spu-

spumante, sed di *ardente*, di *inquieto*, *fremente ec.* (*Georgius*).

(31) *Pisonianæ Orationis ec.* Ea vero, Epistola, *qua quid in M. Tullii Ciceronis contra L. Pisonem interciderit demonstratur*, edita fuit primo in Collectione Calogeriana (T. X.) tum ad calcem Orationum ipsius Lagomarsini Romæ editarum an. 1753. (Carrara)

(32) *Nobilis Scriptor, & Historicus ec.* Hunc autem eumdem esse Angelum Fabronum indicavit Carrara in adnotatione hisce iisdem Parthenii verbis adjecta, Fabronum, inquam illum, de quo *Electriorum* Lib. I. hæc Parthenius scripserat:

„ Et tot præterea non uno nomine dignos
„ His adcenseri, sileo quos hic minus ægre,
„ Promeritos justo, quod non patietur honore
„ Fraudari, eloquio nuper qui nobilis aureo
„ Magnorum instituit Vitas describere Vatum
„ Et clara æternæ committere nomina famæ.

De Fabrono vero hæc intelligenda monet Auctor adnotationum in ipsum Poema Parthenii, his verbis: *Angelus Fabronius Patricius Pistoriensis, Basilicæ S. Mariæ Trans Tiberim Canonicus, qui non Vatum tantum, ut inquit Auctor, sed & clarorum in omni doctrinæ genere sui temporis virorum, Vitas Latina lingua scribere studuit .... in quo Scriptore, qui tantum onus suscepit, nihil ad veritatis historicæ fidem requiras, nihil ad mundissimi sermonis elegantiam desideres.* Atqui, si de Fabrono ipso, quæ Parthenius in Commentario refert intelligi debeant, judicent æqui Lectores, quam ille gratiam retulerit Jesuitis, qui eum tantopere laudarunt, dum eos, qui *mundissimi Sermonis elegantia* præstitisse Fabronum scripserant, pari (si Diis placet) urbanitatis laude, *porcorum more* in unius defensionem *ingruere universos*, temere non minus, quam turpissime affirmavit. (*Georgius*)

(33) *Scrupulos quosdam ec.* Minima hæc, quæ tum in Orthographia, tum in reliquis Philologiæ partibus acutissi-

me indagavit protulitq. Lagomarsinus, levitatis certe vitio quibusdam essent Græculis danda, qui toti in eo sunt, ut verborum ac syllabarum aucupia sectentur, cum tamen in summa graviorum rerum ignoratione versentur: at doctissimi hominis (qualem Lagomarsinum plerique judicarunt) hæc etiam propria laus est, ut cum pectus copia rerum maximarum impleveverit, minutiora etiam subtilissima indagatione perscrutetur, ne quid illi retrusum atque abditum fuisse dici umquam possit, sive id acutioris ingenii vi ac natura contingat, sive id ratio litteræque ipsæ efficiant, ut quo impensiori studio eas colueris, earum etiam subtilior investigatio tibi sit maxime jucunda, quemadmodum iis contingere solet, in quibus oculorum est sensus acrior, nihil ut plane occurrat, quo non aciem intendant, nihil indicari possit, quod non ipsi pervideerint.

Illud etiam probandum maxime Lagomarsini in Latina scriptione consilium, ne Scriptores nostri ab eo dicendi genere, verbisq. recederent, quæ temporibus personisque quæ nunc sunt, aptiora viderentur, neque omnia ad Veterum trutinam normamq. revocarent: non enim res verbis, sed verba rebus aptanda sunt, cum sermonis verborumque moderatrix debeat esse prudentia: quare, si rerum, quæ postea in hominum usum sunt institutæ, ignoratione, proprium dare iis nomen Latini veteres nequivere (quo factum est, ut neq. apud Tullium, Cæsarem, Liviumq., eorum quæ ad Christianam Religionem pertinent, reperiri possint propria vocabula) intolerandæ levitatis esset, Christianæ Religionis mysteria, Ethnicorum cæremoniis æquiparantem, miscentemq. sacra prophanis, iis iisdem explicare verbis, quibus Latini Veteres usi sunt, eaq. uti oratione, quæ cum lumen adhibere rebus debeat, obscuritatem potius ac tenebras afferat. At, quid est, quæso, quod delicatas istas nimiumq. religiosas aures offendat, si novis adhibitis verbis, quod Horatio teste, *licuit semperq. licebit* explicare conemur quæ nova sunt, quod nec Tullius, Salustiusq. facere abnuissent, si in nostra hæc tempora ipsorum ætas incidisset? *Episcopi* igitur,

Ecclesiæ, *Canonum*, *Eucaristiæ*, *Baptismi*, cæteraq. id genus nomina, non impune solum, sed & laudabili consilio elegantissimus quisque Latinæ linguæ studiosus, scribendo proferet, quin idcirco, deformatæ Latinitatis reus dici possit: atque utinam is aliquando existat, qui laboriosum quidem, at Latinis nostræ ætatis Scriptoribus, utile maxime opus moliri audeat, ut selectis á Mario Nizolio Latinis, Ciceronianisq. formis, eas addat, quibus, Gratianus, Maffejus, Perpinianus, Pogianus ec. usi sunt, in explicandis Christianæ Religionis officiis: quo in genere Scriptionis, Pogianus ipse, aliiq. doctissimi viri, qui in *Romano Catechismo* explicando, illustrandoq. operam contulerunt suam, maxime cæteris præstiterunt. (*Georgius*)

(34) *At vero iis, quo nunc &c.* Fuerat hic Joannes Hieronymus Lapius Florentinus, Medicinæ scientissimus, atque omnium virtutum genere ornatus, quem honoris causa nomino. (*Carrara*)

(35) *Ad Sepulchrum S. Peregrini &c.* Non est hic Peregrinus ille Latiosus ex Ordine Servorum B. Virginis, quem Sanctitate, portentisq. percelebrem Forolivienses colunt sui, sed alter hoc nomine Sanctissimus, quem Scotorum Regis Filium nonnulli Scriptores fuisse tradiderunt, etsi pauca admodum sint, Bollandianis Scriptoribus testibus, quæ certissimis confirmari argumentis possint. De hoc Sanctissimo viro Commentariolum ipse ego dum Perusiæ Rhetoricam docerem edidi, rogatu piissimi Sacerdotis Josephi Novelli Viterbiensis, qui eadem in Urbe Parœciæ S. Peregrini præpositus fuerat, eamq. ad plures annos sanctissimæ administravit: de hujus viri probitate multa ipse testari, at multo plura sunt quæ Viterbienses Cives testari possunt, hærebitq. profecto animo infixa meo piissimi Sacerdotis memoria, qui præcipuus mihi auctor fuit, ut Societati Jesu nomen darem, in qua jucundissime usq. ad ipsius Societatis interitum vixi; atq. utinam ad hujus Instituti normam, vitam moresq ue meos conformare studuissem! (*Georgius.*)

F I N I S.

VINCENTII GEORGII

DIATRIBA

QUA

Didaci Lainii e Soc. Jesu fama a calumniis *Jacobi Augusti Thuani*, *Fr. Paulli Sarpii Veneti*, & *Gallorum Scriptorum Dictionarii Virorum illustrium vindicatur*.

I.

Privatam non modo Sociorum, sed & Societatis universæ causam pro viribus defendisse *Lagomarsinum*, vere narravit Parthenius noster in Commentario suo (num. XLIX.). Nam, si quæ ille pro Societate scripsit, singulari comprehensa Volumine evulgare quis vellet, Opus inde satis magnum emergeret, quod eodem insignitum titulo, quo suum inscribi voluit Sfortia Cardinalis Pallavicinus, nempe: *Vindiciæ Soc. Jesu*, obtrectatorum *os*, *vere loquentium iniqua obstrueret*, & Societatis Jesu famam ab innumeris malevolorum criminationibus vindicaret.

In *Jacobi Augusti Thuani* mendaciis refellendis, ingenii doctrinæq. vires omnes contulisse Lagomarsinum, ex eloquentissima illa *Actione* colligimus, quam II. Epistolarum Pogiani Volumini attexuit Lagomarsinus, qua illum sic exagitare aggressus est, ut eum non modo inelegantem, inconcinnumque, imo vix Latinum Scriptorem, sed & mendacissimum Historicum ostenderet in referenda *Ven. Ignatii de Azebedo* e Soc. Jesu, ac Sociorum ejus nece, quam odio Catholicæ Religionis illis illatam fuisse, contra quod Thuanus scripserat, invictissime demonstravit, sed & mendacissimum etiam fuisse probavit in earum rerum nar-

ratione, quæ in Conventu Possiacensi (*Poissy*) Anno MDLXI. in Gallia gestæ sunt, cui Conventui, cum egregius ille *S. Ignatii de Lojola* Socius & alter ab Ignatii obitu Societatis Præses *Didacus*, *seu Jacobus Lainius* interfuisset, mirum est, quam ad Lainii famam obscurandam virus omne mendacissimæ improbitatis Thuanus effuderit.

Cum ergo malis adhibitis ducibus, errare plerumque contingat, mirum videri nequit Gallos Scriptores Dictionarii Virorum illustrium (in quo augendo tantopere laboraverat Carrara noster) Thuani, aliorumque hujus notæ Auctorum fraude dolisque deceptos (quamquam ejusdem etiam improbitatis socios non temere possem judicare) tam male de doctissimo sanctissimoque viro sensisse, ut eum non modo levitatis, sed audaciæ plane intolerandæ reum effingerent, & Societatis ipsius *eversorem* potius, quam *Institutorem*, non dubitaverint appellare. (*V. Dict. v. Laines*).

Dici vix potest, quam edito a Carrara *Dictionario* suo, tam impudenti fuerim narratione perculsus, cumq. nom tarditate aut oscitantia ulla, sed male concepta Gallorum Scriptorum fiducia, hæc non animadvertisse Carraram nostrum crediderim, deberi hoc, tum Lainii famæ, tum Societatis nostræ decori, tum amicitiæ quæ cum Carrara fuerat putavi, ut Dictionarii indicato loco, de tanta fœditate amicum monerem; quo lecto, exhorruit ille, ut debuerat, nullique parcendum labori statim professus est, ut veritatis patrocinio suscepto, injectæ clarissimo homini criminationes depellerentur, quod ille novis additis, quasi *Mantissæ* loco enarrationibus facere decreverat, & si fuisset vita diuturnior, facturum certe dubitare non poteram. At illo extincto, præstandum mihi est quod ille non potuit, ac Lainii defensione suscepta, & defuncti amici votis, & nostrorum, qui adhuc supersunt, voluntati studiisque obsequi par est, ne desidioso turpiq. silentio neglecta veritatis defensio, ab iis, qui omni illam tueri studio debuerant, videatur.

II.

A Thuano deprompta, seu potius excripta in Lainium convicia, a Gallis Dictionarj Scriptoribus paulo ante indicavi. At Thuano addendus etiam *Frater Paulus Sarpius* Venetus Reipublicæ suæ Theologus, immo etiam *Patriæ proditor suæ* ut suo ostendam loco, qui in Historia illa Concilii Tridentini, quam ficto *Polani*, seu *Suavis* nomine inscripsit, & ab Apostata illo teterrimo *M. Antonio de Dominis* Archiepiscopo Spalatensi, Jacobo III. Angliæ Regi dicari, vel jussit, vel simulata rei indignissimæ ignoratione permisit, quaque Hæterodoxorum causam, contra Ecclesiæ Catholicæ jura pro viribus sustinere non horruit, ubi de Lainio, qui Concilio Tridentino sæpius interfuit mentio facienda sit, non *invidiæ iræque*, ut erat Societati nostræ infensissimus hostis, umquam pepercit. Historiæ hujus mendacissimum Scriptorem, acerrime invictissimeq. refutavit, doctissima Concilii ejusdem Historia evulgata Card. Sfortia Pallavicinus, qua improbissimi hominis audacia retusa, veritati dignoscendæ latior patuit via, quæ non tam facile, tot inter mendaciorum anfractus salebrasque detegi potuisset.

III.

Jam ut ad propositam defensionem veniam; Exhibenda hic primum Jacobi Lainii, germana species, qualem ex probatissimis Authoribus exhibuit Nicolaus Galeottus S. I. in eleganti Commentario, quo „ *Imagines Præpositorum Generalium Societatis aereis formis expressas, perbrevi addita uniuscujusque Vitæ descriptione*, complexus est: tum, alteram a Gallis Scriptoribus in suo Dictionario delineatam subiiciam, ut uno pene obtutu, quam sint de uno eodemq. homine diversa inter se ab Historicis confecta judicia perspici possit.

P. Jacobus Lainius.

„ Jacobus Lainius Almazani in Seguntinæ Diœcesis op-
„ pido natus Anno. MDXII. humanarum, divinarumque
„ rerum scientia Parisiis percepta, in eadem Urbe se cum
„ S. Ignatio conjunxit. Cum in Italiam venisset fructuo-
„ sas pluribus in locis Conciones habuit. Eodem munere
„ in Sicilia functus a Joanne Vega Prorege in Africanam ex-
„ peditionem est ductus, ejusque opera Maurorum com-
„ plures sacro Baptismate expiati sunt, Maomethicumque fa-
„ num Christianis ritibus consecratum. Romæ in Archi-
„ gymnasio Theologiam publice tradidit. A Paulo III. Ve-
„ netias primum cum mandatis est missus; Parmam dein-
„ de Card. Philonardi comes; Juliique III. jussu cum Card.
„ Moronio ad Augustana Comitia se contulit. A Marcel-
„ lo II. Theologus Domesticus designatus. Mortuo Pau-
„ lo IV. de eo renunciando Pontifice a duodecim sapien-
„ tissimis Cardinalibus agitatum. Ex Pii IV. Pontificis
„ voluntate cum Card. Athestino in Possissiniacensem Con-
„ ventum veniens, Theodorum Bezam, aliosque pravita-
„ tis antesignanos convicit. Tridentino Concilio, semel,
„ iterum, ac tertio Theologus Pontificius interfuit, ejusque
„ singularis doctrina vel in illa omnium gentium luce ad-
„ mirabilis videri potuit. Quod attinet ad Societatem; Pro-
„ vinciæ Italicæ Præpositum illum S. Ignatius creavit. Post
„ illius obitum Vicarius Generalis a Professis, qui Romæ
„ aderant, electus est; & a Congregatione omnium prima
„ Præpositus Generalis postridie Kal. Julias MDLVIII,
„ intraque annos octo Societatis sex Provincias adjecit.
„ Erat in eo summa Religio, summa item suavitas; mo-
„ deratio vero tanta ut, & Labacensem Episcopatum (*di*
„ *Lubiana*) & Cardinalatus honorem summo studio refu-
„ gerit. Mortem obiit Romæ XIV. Kal. Februarii MDLXV.
„ Cum de ea audivisset Sanctus Pius V, eo tempore Car-
„ dinalis, ingemuit, quod Christi Ecclesiam orbatam stre-
„ nuo milite esse diceret. Illius exequias Dilingæ cohone-
„ stavit Card. Otho Truchses sacrificium ipse publicum fe-

„ ciens, sedensque in Solio de illius Virtutibus ad popu-
„ lum verba fecit.

Hæc ex probatissimis Historicis, Orlandino, Sacchino, & Card. Sfortia Pallavicino Galeottus. Audiantur nunc Galli Scriptores, qui probatioribus (si Diis placet) Auctoribus innixi, unum, eumdemq. Lainium *ex albo*, ut ita dicam, *sic in Æthiopem* immutarunt.

Lainez Giacomo.

„ Secondo Generale de' Gesuiti, era Spagnuolo. Ebbe
„ fama di gran dottrina nel secolo decimo sesto. Addot-
„ torato in Alcalà, venne a Parigi, dove studiò la Teolo-
„ gia. Fu uno de' primi compagni di S. Ignazio contribuì
„ molto alla Fondazione della Compagnia, e ben presto
„ dopo gli successe nel governo (*cum scilicet Vicarius Generalis Anno sc. MDLVI. a Professis electus est*) ma non
„ fù eletto formalmente Generale, che tre anni dopo,
„ cioè nel 1558. (At ab Augusto mense Anni MDLVI,
„ ad postridie Kal. *Julias An. MDLVIII, quo die Præpositus renunciatus fuit, non tres, sed vix duo Anni numerari possunt*) Assistè al Concilio di Trento, come Teologo di
„ Paolo III. a molte Sessioni di quel Concilio.

„ Nella Congregazione del di 16. Giugno 1562. Lainez
„ fece un lungo discorso, nel quale mostrò tutto il suo zelo *per la Corte di Roma* (*usurpata passim hæc dicendi forma ab iis, qui de Apostolica Petri Sede minus recte sentiunt, ac si in Ecclesiæ regimine nullum esset inter Petri Cathedram, cæterasque humanæ Societatis regendæ formas discrimen*).

„ Disse ... (*hujus Orationis a Lainio habitæ capita, suis singillatim expendentur locis*) Non contento di aver ciò so-
„ stenuto imprese nella seconda parte di questo strano
„ discorso di rispondere a quelli, che sostenevano, che i
„ Vescovi ricevevano la loro Autorità da G. C..... So-
„ stenne nella Congregazione de' 24 Luglio, che il Ma-
„ trimonio clandestino, non è male di sua natura,... non
„ è questa la sola volta, che Lainez avanzò alla presenza
„ de' Padri *proposizioni sì strane*. Gli viene attribuito uno

„ scritto che fù divulgato poco tempo dopo, nel quale
„ questo Gesuita sforzavasi di mostrare, che li matrimo-
„ nj clandestini non dovevano essere annullati, ma si
„ fece poco conto di questo scritto. In un Assemblea
„ de' 13 Settembre presso il primo Legato, e dove ognuno
„ ebbe libertà di entrare, il medesimo Gesuita, benchè
„ Teologo del Papa, negò alla Chiesa la podestà di annul-
„ lare i matrimonj clandestini.... Pio IV. impiegò Lainez
„ ad accompagnare nel 1561 il Card. Ippolito d'Este, che
„ andava Legato in Francia, per il colloquio di Poissy.
„ Fece ivi un discorso in opposizione a quelli di Beza, e
„ di Pietro Martire. I suoi primi tratti furono diretti
„ alla Regina *Caterina de' Medici*: esso ebbe il coraggio di
„ dirle, che non toccava ad una femina ordinare confe-
„ renze di Religione, e che usurpava il diritto del Papa:
„ pertanto disputò in una Assemblea, che riprovava, e
„ fra molte buone cose, disse *molte puerilità*.... Abbiamo
„ di lui molte opere di Teologia, e di Morale (hoc est,
*plane nulla, uno alteroq. Sermone excepto, qui inter Conc. Tri-
dentini Acta relatus est; reliqua enim Lainii scripta, quæ
in Tabulario Domus Professæ Soc. Jesu olim servabantur,
ita sunt lituris obsita, atq. obscuris literarum formis imple-
xa, ut quid ab eo scriptum sit intelligi omnino non possit,
neq. tot curis distentus, ut supra monuit Galeottus, perpolire
illa umquam valuit*) „ Teofilo Rainaudo lo fà Autore delle
„ Dichiarazioni sopra le Costituzioni de' Gesuiti... *Queste
Costituzioni, che non sono state scritte da un industria umana,
ma che sono state per quanto sembra ispirate dalla Divinità.*
„ Questo è il giudizio, che ne porta il P. Alegambe da
„ buon Gesuita... Ci contenteremo di dire, che S. Igna-
„ zio nudrito nell'opinione del potere assoluto del Papa
„ sopra lo spirituale ed il temporale, credette, che fosse
„ uopo ergere la sua Società in Monarchia: le sue mire
„ erano pure, ma quelle di Lainez erano assai meno. Si
„ deve riguardarlo, come il vero fondatore, e forse come
„ il distruttore della Società.... Lainez si fece quasi tutto
„ deferire nella prima Congregazione, che fù tenuta dopo
„ la morte di S. Ignazio. In tal guisa all' equità e alla sem-

„ plicità Evangelica, fu sostituita una Politica, che parve „ più umana, che Cristiana ec.

IV.

Hæc de Lainio: reliqua vero quæ in Societatem ingeruntur criminationes ab eorum in Galliæ regnum reditu, regnante Henrico hujus nominis quarto, usque ad Societatis dissolutionem a Clem. XIV. decretam, meum hic non est enumerare, & longa instituta disputatione refellere: atq. ut in uno Lainio consistam, quinque esse animadverti accusationis capita ab Dictionarj Scriptoribus proposita, nempe: I *Quod Romanæ Aulæ blandiri oratione illa sua Lainius voluerit*. II. *Quod Ecclesiæ Romanæ reformationem minime a Concilio decernendam dixerit*. III. *Quod eidem Ecclesiæ potestatem irritandi Clandestina matrimonia abjudicaverit*. IV. *Quod in Conventu Possiniacensi inepte non minus, quam audacter sit in Reginam Catharinam invectus*. V. *Quod ambitiosius jura Præpositi Generalis amplificare, Ignatii ipsius leges atq. instituta convellendo studuerit*. Quæ si vera sint, obscurari non modo; sed omnino evanescere præclara illa testimonia necesse est, quæ de Lainii doctrina, prudentia, ac sanctitate tot Italiæ Germaniæq. Episcopi, tot S. R. E. Cardinales, tum Tridentini Patres, atq. ipsi Romani Pontifices dedere, atq. hunc non gravissimum, non doctissimum, non piissimum, sed ineptissimum, sed audacissimum, sed versipellem Ignatii socium non appellare modo, sed execrari quodamodo debeamus. Recensenda igitur tot *ineptiarum* (stravaganze) capita quæ incredibili *audacia* in Conventu tum Possiniacensi, tum Tridentino tueri Lainius ausus est, tum diligentiori inito examine quærendum, an, & quo tempore, & quo tandem sensu tanta hæc Lainius profiteri non erubuerit; qua in re Lectoris patientia tentanda quodamodo, qui tot inter mendaciorum anfractus, quo se vertat, quem cursum teneat profecto ignorabit, ac si in celebrem illum Labyrinthum, malo quodam fato sese detrusum intelligat, de quo, Virgilius Æneidos Libro V. præclara illa scripserat.

„ Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
„ Parietibus textum cœcis iter, ancipitemque
„ Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
„ Falleret indeprensus & irremeabilis error.

V.

Ac primo, falsa omnino sunt, quæ Galli Scriptores in ipso narrationis vestibulo narrant de Lainio „ *Nella Congregazione de' 16. Giugno 1562. Lainez fece un lungo discorso, nel quale mostrò tutto il suo zelo, per la Corte di Roma* ec. Nam primo, ut ex Diario ipsius Concilii Tridentini refert Pallavicinus, *Le Congregazioni de' Teologi cominciarono* (non 16. Jun.) *a' ventuno di Luglio* (*An.* 1562). His vero Conventibus Lainius minime interfuit, nec adesse profecto poterat, cum ipsius Tridentum adventus die tantum vigesima tertia Julii ejusdem anni contigerit, ut ex Epistola eo ipso die, quo Tridentum advenerat Lainius a Mutinensi ad Card. Moronum data, plane constat. (Pallav. Istor. del Conc. Lib. XVIII. cap. II. n. c.) Congregationibus ergo minorum Theologorum, ante diem vigesimam tertiam Julii an. 1562, Lainius minime interfuit. In Generalem vero Episcoporum Theologorumq. Conventum venit die vigesima prima Augusti (non decima tertia ut falso Sarpius scripserat) anni ejusdem 1562.

Atque hic cœtus ile Patrum est, in quo *Romanæ Aulæ* benevolentiam, blanditiis atque assentationibus suis aucupantem Lainium Galli Scriptores effingunt, cum tamen in toto quem habuit sermone, nihil omnino, nec de *Romana Aula*, immo nec de ipsa R. Pontificis summa Potestate Lainius dixent. Nam, quæ Orationis a Lainio tunc habitæ enumerantur a Gallis Scriptoribus capita, ad alium, alio die alioq. anno sermonem habitum de *Reformatione Romanæ Curiæ*, referenda sunt, nec tamen ita a Lainio Tridentinis Patribus fuisse proposita, ut a Gallis Auctoribus relata sunt, suis ostendam locis.

Disputationum ergo, quæ Augusto mense An. 1562, ha-

bitæ sunt, duo fuere præcipua capita: alterum, in quo quærebatur, Num in Paschali Cœna illâ, in qua Eucharistiæ Sacramentum Christus instituit, proprium sacrificium ab ipsomet Christo Patri tunc oblatum pro hominum salute agnoscendum sit, ab illo sejunctum, quod moriturus in Cruce, Patri obtulisse postea, compertum est? Qua in disputatione, quam ipse Lagomarsinus retulit in Adnotationibus ad Epistolam Pogiani LXXII. Vol. III. p. m. 129, cum in contrarias abirent Episcopi Theologique sententias, iis adhæsit Lainius, qui etiam in novissima Cœna illa, Patri se Christum pro nobis obtulisse contendebant, multaque in eam rem a Lainio, docte non minus quam copiose disputata, refert Pallavicinus (Istor. L. XVIII. c. II. n. 8.) Alterum vero Disputationum caput fuerat, de *Communione Eucharistica sub utraque specie* ut ajunt, sive de *usu Calicis* etiam Laicis concedendo: qua de re, pluribus tum Tridenti, tum Romæ habitis consultationibus diversa Rom. Pontificum prodiere judicia, quibus primum Bohemorum, aliorumque Germanici Imperii populorum, Calicis usum enixe petentium votis annuendum, certis tamen adjectis conditionibus, quibus tuta ab omni errore esset Catholica de Eucharistiæ Sacramento doctrina, R. Pontifices decreverunt: at cum mitiori hac indulgentia ad prava obfirmanda dogmata hæterodoxi abuterentur, revocandam esse Pius V. P. M. aliiq. Pontifices decreverunt (V. Lagom. ad Ep. Pogiani LXXX. Vol. III. p. m. 161.)

Longiori igitur instituto sermone, quem ex actis Concilii a Card. Paleotto retulit Pallavicinus, reiicienda hujusmodi postulata, pluribus etiam Tridentinis Patribus consentientibus, censuit Lainius, quem sic pro Ecclesiæ bono perorantem inducit Pallavicinus „ *Il dispensare in ciò valere per suscitare fidanza ad altre indebite richieste, per cui si togliessero tutte le Leggi della Chiesa. Gli Autori di questa voglia essere stati gli Eresiarchi, alla cui perversità e superbia, non si rimediava colla condescensione, ma colla resistenza* ec. *Molto dover la sua Religione a Cesare fondatore di parecchi Collegii, molto al Duca di Baviera* (horum enim Principum in *Calixtinorum* sic enim appellabantur) tuen-

dis postulatis impensiora studia ferebantur (*ma quanto era maggiore l' obligazione, tanto più esser lui tenuto di corrisponder loro colla fedeltà del consiglio:* ec. ec.) Atque hic animadvertant rogo Lectores, quam alienum a vero sit, quod de Lainio *Romanæ Aulæ blandiente* affirmare ausi sunt Galli Scriptores, cum studio veritatis, & fidei Catholicæ tuendæ incensus, nullam Societatis suæ rationem habendam duxerit, eorum Principum, qui eam maxime fovebant postulationibus adversatus, quorum offensionem Societati certe pertimescendam, effugere non potuisset.

Neque vero, disputationis æstu abreptum, vel partium studio præocupatum sic perorasse Lainium dixerit, qui plures ex Patribus Tridentinis Lainio adhæsisse didicerit ex Pallavicino, à quo etiam discimus, nihil omnino eo in sermone nec *de Romanæ Curiæ reformatione*, nec *de suprema Rom. Pontificis in Ecclesia regenda Potestate*, assentandi studio, egisse Lainium; cum hoc tantum, quod a Catholico Doctore confirmari debuerat, ulla sine hæsitatione prædicaverit „ *La Dispensazione* (pro Calicis usu) *doversi conceder dal Papa, cui ufficio è il considerare le particolari circostanze, de tempi e delle persone, ciò che parimente il Vescovo di Rieti* (fuerat hic Joannes Baptista Hosius Romanus) *avea notato* (Pallav. Istor. L. XVIII. c. IV. n. 21.)

VI.

Detecta igitur totius narrationis falsitate, quid de reliquis a Gallicis Auctoribus narratis, judicandum sit Lectoribus prudentiæ remitto. Factorum enim ordine perturbato, ea hic retulere, quæ aliam ad causam, alio tempore a Lainio tractatam pertinebant, quæ tamen, neque sic ab eo proposita sunt, ut ab oscitantibus hisce Scriptoribus fuere descripta, neque si proposuisset, poterant umquam vel ignorantiæ, vel audaciæ nota culpari. Ac primo, quæ in commentitia illa Congregatione diei decimæ sextæ Junii, an. 1562. cui, si umquam habita est, Lainius Tridento adhuc absens, adesse non potuit, ut jam demonstratum est N. V. dicta in *bipartita* Oratione a Lainio

confinguntur, audiamus: Et quoniam in *bipartita* quadam oratione, præpostera multa absurdaq. a Lainio commemorata Scriptores isti confirmant, quæram primo, ac proprio meo jure reposcam hujus *bipartitæ* orationis exemplum; atqui certum plane est, hujusmodi orationem, ut a Scriptoribus istis exhibita legitur, numquam a Lainio fuisse pronunciatam, neq. ullam illius, vel in *Actis* Concilii Tridentini, vel in Paleotti *Diariis* factam fuisse mentionem.

Orationum nempe, quæ habitæ in Concilii Conventibus a Lainio sunt, vix duo a Pallavicino allata supersunt exempla; alterum, in quo *de Justificatione*, tam erudite disputavit, ut illius exemplum in acta Concilii relatum sit. *Tra quelli, che impiegarono lo studio e la penna in questa Disputazione, si fè ragguardevole Diego Lainez, il quale contro la sentenza del Seripando scrisse un Trattato più veramente, che un parere, ove anche ad un ora discusse tutta la materia della Giustificazione, ed ebbe tal pregio, che fù registrato a parola negli, Atti autentici* (Istor. del Conc. Lib. VIII. c. XI. n. 9.) Alterum est illius longissimi sermonis, in quo de *Episcoporum Jurisdictione* disputavit; de quo hæc habet Pallavicinus: *L'ultimo Disputatore* (die 20 Octobris, non 16. Junii an. 1562 ut falso ab authoribus Dictionarii scriptum est) *fù Diego Lainez Generale della Compagnia di Gesù, il quale parlò a 20 Ottobre, ed occupò egli solo tutto il tempo della Congregazione.* (Istor. L. XVIII. C. XV.) Atqui si de hoc Lainii Sermone intelligi debeant, quæ ab Auctoribus Dictionarj scripta sunt, ut nihil absurdum magis, vel audacius prolatum inveniri possit *(in questo strano discorso sostenne arditamente)* audiant illi a Pallavicino, quæ Patrum Tridentinorum fuerint de Lainii sermone judicia: *Questo suo ragionamento ebbe fama al pari di quanti mai si ascoltarono nello stesso Concilio. Il Soave stesso* (h. e. Fr. Paulus Sarpius) *lo racconta come tale, ne sa negargli qualche lode, e suprema per opinion di quei Vescovi, ch'egli appella Pontificii.* (Ibid.) Hic igitur Lainius, quem *audacem ineptumque* in dicendo Scriptores isti effingunt, ille idem est, cujus eloquentia, doctrina eo in prætio est

a Tridentinis Patribus habita, ut ei dicenti is honor haberetur, quem nulli ex tot præclarissimis viris, qui eo convenerant, habitum legimus: *Imperocchè, dove gli altri Generali parlavano dal loro luogo, e stando ritti, egli facevasi sedere, e stare nel mezzo; e quantunque il suo dire fosse stato alcuna volta lunghissimo, la lunghezza, da essi biasimata negli altri, era divenuta in esso materia di lode, e fin talora per lui solo eransi tenute le Generali Congregazioni.* (Istor. del Con. Lib. XXI. C. VI. n. 15.)

Hunc ergo Lainii Sermonem vidit Pallavicinus, ejusque præcipua capita retulit in Hìstoria sua, ut instituta comparatione possit Lector de Veritate illarum rerum, quæ a Pallavicino, & ab Authoribus Dictionarii narrantur, facile judicare. Ille enim casu quodam sermonis exemplum præ oculis habuit, isti, duce Sarpio, non quæ exemplo illo quod numquam viderant, continebantur, sed quæ ipsi somniando, seu calumniando potius effinxerant, inepte non minus, quam audacissime protulerunt. *A me per grandissime diligenze non era potuto mai venir fatto di leggere, o questa, o veruna Scrittura del Lainez, (1) fuorchè la memorata già nelle materie della Giustificazione, riportata già negli atti Autentici. Ben i suoi pareri rimangono talora in leggier modo accennati quivi (negli atti) e nell' Opera del Paleotto. Nel resto i caratteri del Lainez, erano più tosto cifre, note a lui solo, che lettere intelligibili agli altri.* (2) *Ora*

(1) *At quod tibi omnia rimanti nondum contigerat, Pallavicine, ut Sermonem aliquem Lainii inspicere posses, id Scriptoribus nostris, qui numquam Romana Tabularia inspexerant, fato nescio quo faustissimo contigit, ut quæ Lainius in Concilio Patrum dixerat, ita tenerent, ut quas, & quibus de rebus, & ad quos Orationes habuisset recensere narrando possent, earumq. capita, argumenta, ac verba plane ipsa ex Codicibus plane ignotis, immo etiam effictis, Lectoribus subjicere, quo de Oratoris vel fatuitate, vel audacia judicare facile possent!*

(2) *Scriptoribus nempe hisce Gallis exceptis, qui lynceis oculis perscrutari & legere isthæc omnia potuere.*

essendomi accaduto di rinvenirlo in un Volume del Vaticano, sono rimasto stupefatto di trovarlo tutto diverso dall' imagine sottoposta. (1)

Hoc ergo in doctissimo sermone ea pertractantur a Lainio capita, quæ ad celeberrimam quæstionem pertinebant, de *Origine Potestatis, quam Jurisdictionis appellant, in Episcopis agnoscenda*, de qua magna tunc fuit, & re nondum ab Ecclesia definita, magna est adhuc inter Auctores dissensio, Num *immediate a Deo* in Episcopos, vel potius auctoritate ac nutu R. Pontificis in eosdem, tamquam a fonte rivulus quidam derivari contingat? qua in quæstione Lainius, non *Aulæ Romanæ* blandiri cupiens, sed de plurimorum Episcoporum, & veterum Doctorum auctoritate, eam sibi tuendam proposuit sententiam, quæ a Romano Pontifice, Jurisdictionis potestatem in Episcopos derivari docebat: qua in re neminem profecto sanæ mentis futurum reor, qui Lainium vel ignorantiæ, vel audaciæ arguere possit, quod in re Ecclesiæ judicio nondum definita, & summo partium studio, validisque utrinque argumentis propugnata, iis sese adjunxerit, qui probabiliorem sibi causam a se susceptam judicabant. Seriem vero totius Orationis a Lainio habitæ perpendenti, non *ineptiis*, ut Scriptori nostro scripsisse placuit referta, sed validissimis argumentis confirmata constabit, quod a viro egregio expectandum erat: quo illud plane efficitur, neq. Sarpium, neque Gallicum Authorem Lainii Sermonem præ oculis, dum portentosa illa scriberent habuisse, alterumq. Lainium, illius qui Tridenti tanta cum doctrinæ fama de tota Theologia disputaverat plane dissimilem, effinxisse. (Pall. Istor. L. XVIII. c. 15.)

Quæ vero de *Reformatione* narrat Author, *non ad annum* 1562 sed ad proxime insequentem 1563, referri debuerant. Junio ergo ineunte actum a Patribus in Congregatione de *Reformatione* est. Longo Sermone Lainius sententen-

(1) *Illa nempe, quam mendacissimus Fr. Sarpius designaverat, a quo quæ ab Auctoribus Dictionarii vulgata sunt, uere ad verbum pene descripta.* (Pallav. l. sup. cit.)

tentiam explicavit suam, de qua hæc refert Pallavicinus: *Diego Lainez, che fù l'ultimo secondo il costume, ragionò in questi concetti ec. .... e certo è aver lui parlato sì dottamente, che i Legati mandarono il sudetto ragionamento, come di singolare eccellenza, al Card. Borromeo.* (Istor. Lib. XXI. c. VI. n. 15.)

Sed jam ~~ad~~ in ipsa doctrinæ capita, quæ Lainio affinxit Gallus Author, examen disquisitionemq. ~~veniamus~~ vere, quo, non Lainii, sed ipsius Authoris, qui tam male de Lainio sensit, levitas atq. audacia dignoscatur, dum ea in ejus Oratione reprehendenda recenset, quæ vel ille non dixit, vel si ea dixisse concedam, ejusmodi sunt, ut sane intellecta, reprobari omnino non possint.

VII.

Disse: *Che il Papa essendo Vicario di Gesù Cristo e suo Luogotenente, non ha altro Tribunale, che il proprio, e perciò è da confessarsi, che egli ha la medesima autorità:* Sunt hæc a Sarpio excripta, sic referente Pallavicino: *Un sol detto riferisce* (del Lainez) *detestato* (da Fr. Paolo Sarpi) *come sacrilego, cioè, che fosse pari l'Autorità del Papa a quella di Cristo. Sopra di che non mi giova far parole, e lascio, che ogni intelletto, in cui sia uso di ragione formi giudizio, se tale sconcio sia verisimile d'un Lainez persona di sublime scienza, qual talora il Soave non volendo il confessa, da che non fù mai Teologo, nè sì rozzo, nè sì temerario, che attribuisse al Pontefice il poter costituire Sagramenti, il rimetter peccati fuori della Confessione, ec. e che se a Cristo è lecito il dispensare, senz'altra cagione che del suo beneplacito in tutte le Leggi positive Divine, sia ciò parimente lecito al Papa!* (Istor. L. XXI. c. VI. n. 19.) *Il costituire un medesimo Tribunale di Dio, e del Papa in terra, è proposizione, che ha ottimo senso, come se un dicesse, che in Napoli il Tribunale del Vicerè, e del Re, è lo stesso; non quasi il Re non sia superiore al Vicerè, e non possa rivocare le sue ordinazioni, nè punire la sua persona, ma perchè in quella Città il Re non ha eretto alcun Tribunale*

sopra quello, in cui è amministrata l'autorità Regia per mezzo del Vice Re. Così non volendo Dio esercitare egli la Podestà giudiciale nel mondo, convenne che si ponesse un Magistrato supremo umano, il quale la esercitasse in suo nome, e che però il Tribunale di quel supremo Magistrato fosse un medesimo col sommo Tribunale di Dio ec. (Stor. del Con. L. VII. c. XIV. p. totum) *L'appellare il Papa un Dio, è parola imprudente, e in Roma si vieta: Ma chi non intende in qual senso ciò abbiano detto alcuni Canonisti? non in quello de Gentili, che nominarono Dei i terreni Principi, mettendo a competenza con loro i Numi del Cielo, ma in quella significazione, che il vero Dio disse agli uomini: Voi siete Iddii: detto allegato da Cristo contro le calunnie de Giudei ec.* (Ibid.)

VIII.

Disse: *Che il Concilio non ha autorità alcuna di por mano alla Riforma della Chiesa di Roma, perchè questa è al Concilio Superiore.* Hoc numquam dixit Lainius, ubi actum est de Reformatione Romanæ Curiæ, & si dixisset, nec levitatis, nec audaciæ reprehendi a sano homine poterat. Romanum enim Pontificem nulli Concilio subditum, immo quolibet Concilio superiorem esse, saniores Theologi docent, doctissimisq. scriptis dissentientes plerosq. Gallicos Authores refutare aggressi sunt, etsi ne istorum animi, magno cum discrimine Catholici Dogmatis, quod tantum contra hæterodoxos confirmare Concilium Tridentinum instituerat acrius irritarentur, nihil est ultra de quæstione hac percelebri a Patribus definitum. Hac ergo in quæstione, cum imperitus Author Dictionarj, *jus*, ut ajunt, a *facto* secernere nequiverit, seu potius noluerit, mirum non est, in obliqua transvectum a proposito aberrasse tam turpiter. Nam si quis statuat, non Pontifice Concilium, sed Concilio Pontificem esse majorem, quis est qui nesciat legibus ullis, superiorem ab eo qui subsit astringi non posse? Atqui hoc illud est, quod ex superius proposita plurium Theologorum sententia ne-

cessario profluere dicendum est, (nam quæ ex quodam male intellecto Concilii Constantiensis Decreto opponi argumenta solent, ea jamdiu doctissimi Theologi plane diluerunt) nec illa in Lainio damnanda fuerant, qua ineptissime ab eo dicta Gallicus author memorat, *che poichè veruna Chiesa particolare, che aveva il suo Vescovo nel Concilio, non poteva riformare la Chiesa di Roma, atteso che, (diceva) un discepolo non è sopra il maestro, nè lo schiavo sopra il Padrone, così ne seguiva necessariamente, che il Concilio non ha autorità alcuna di por mano a questa riforma.*

Verum traditam a R. Pontificibus liberam Concilio Potestatem, qua Romanam Curiam, ut Patribus visum esset, restaurandam corrigendamq. susciperent, ex Concilii ipsius Historia compertum est, si Pallavicinum audiamus: *Se ragioniamo delle riformazioni, non solo i Papi senza difficoltà consentirono a Padri lo statuir tutte quelle cose, che risguardavano il comun della Chiesa, ma si condussero anzi a porre in balìa di essi, quantunque inferiori d'autorità, e soggetti a sospicione per interesse, il riformar la Corte del loro Sovrano, e i suoi Tribunali; anzi Pio IV. ingiunse più volte a Legati, che ciò si mandasse ad effetto, senza averlo prima avvisato, anzi si dolse, e si dolse quando ciò non osservarono; lodò quanto nelle Sessioni determinossi benchè improviso e contrario alla sua espettazione, e dannosissimo al suo Erario ec.* (Istor. Con. L. XXIV. C. XIV. n. 12.)

Hac ergo Patribus data potestate, sensit primo Lainius utiliori expeditioriq. consilio Patres usuros, si Romanæ Curiæ reformationem ab ipso tantum Pontifice Romæ degente, potius quam ab Episcopis, aliis distentis curis perficiendam decernerent: quod si Legatis minime id placuisse refert Pallavicinus, haud tamen culpandus in eo Lainius, si ingenue magis, quam caute, quæ causæ utiliora videbantur effuderit: *Ben dispiacque loro, che egli con più sincerità, che cautela dicesse ... Che la riformazione della Corte Romana assai meglio e più presto poteva farsi dal Pontefice, il quale ne aveva somma perizia congiunta con somma autorità*: atqui ita illum non assentatorie, sed majoris boni promovendi studio sensisse, ex iis, quæ Pallavicinus subii-

cit, facile quisq. judicabit, *perchè distraendosi il Concilio con picciol profitto in quella Riformazione particolare, perdevasi il grandissimo frutto che sarebbesi tratto dalla riformazione universale, di cui per dare il giudizio tutti i Vescovi avevano esperienza bastevole, e la quale dal Papa si lascierebbe in loro balìa: laddove quella della Corte posto, che si fosse costituita nel Sinodo, ne dipoi a' Pontefici non piacesse, o l'avrebbono rivocata, o vi avrebbono derogato. E nell' esplicare la forza di questa ragione, s' accese a provar l' Autorità del Pontefice sopra tutti i Concilj: nè si contenne dal pungere chi la negava. Il che nel vero diè molto da mormorare a Francesi, sospettando essi, che il Lainez, o per volontà, o con saputa de' Legati parlato avesse in questi sensi .... e s' ingegnarono di persuadere il Card. Lorenese, che incontro a lui avesse il ragionatore indirizzati i suoi colpi. Il che risaputo dal Lainez si purgò egli col Cardinale, mostrandogli, che non aveva inteso di riprender lui, nè similmente i Prelati Francesi, ma solo alcuni Teologi della Sorbona in tutto aderenti al Concilio di Basilea. E il movimento, non avanzò più oltre.* (Stor. Lib. XXI. c. VI. n. 15.)

Nec tamen constituta jam a Concilio, contra quam sensisse videbatur Lanius, Romanæ Curiæ reformatione, negligenda Primæ Sedis jura censuit, summoq. idcirco studio contendit, ut clausula illa: *Salva Sedis Apostolicæ authoritate*, quam adnectendam omnino Decretis omnibus a Concilio jam constitutis plures censebant Episcopi, omnino apponeretur, ut plane constaret, voluntate sua potius, quam ullo adstrictum Legis a Concilio editæ vinculo, in amplectenda suæ Curiæ reformatione, cæteris Pontificem exemplo futurum: *Parlò* (ita Pallavicinus) *Diego Lainez ... e ammonì, che per niun rispetto si tralasciasse la particella, di cui era stato consigliatore l' Arcivescovo d'Otranto: Salva l' Autorità della Sede Apostolica* (Stor. Lib. XXIII. c. III. n. 30.) .... *Il Vescovo di Salamanca sovra il porre o nò la particella*: Salva &c. *ponderò, che quantunque il Papa sia Capo e Principe della Chiesa universale, e non soggetto all' autorità nè al giudizio di alcuno, onde la sua Podestà s' intendeva riservata in ogni decreto del Concilio, nondime-*

no tanta era la malizia de tempi, che conveniva ciò esprimere, e dirlo e ridirlo ad edificazione della Chiesa Cattolica, e a confusione degli Eretici. (Stor. l. sop. cit. c. VII. n. 13.)

IX.

Propositis a Lainio his Catholicæ Doctrinæ capitibus consentanea illis ea sunt, quæ sequuntur, nempe: *Che Gesù Cristo stabilì S. Pietro suo Vicario per governare la Chiesa, come aveva fatto Egli stesso, dando a lui ed a suoi Successori un potere assoluto sopra questa Chiesa ... di modo che il Papa è un vero Monarca, la di cui autorità non è ristretta, come non lo era quella di Gesù Cristo.* Qua in re notari illud a Lectoribus velim, non his plane verbis, quæ mendax Author posuit explicasse Lainium sententiam suam, sed iis, quibus uti Catholici Doctores solent, cum Monarchicum ita Ecclesiæ regimen agnoscunt, ut in eo administrando, non quodcumq. sibi libuerit vel definire, vel præcipere, vel immutare Pontifex possit, cum Christus tantum de se illa pronunciarit: *data est mihi omnis potestas in coelo & in terra*: sed eo tantum, quo supra explicavimus sensu, Monarchicum esse Ecclesiæ regimen Theologi docent, quod visibili capite in Petro constituto, plenam huic, Successoribusq. in Ecclesia regenda potestatem reliquerit, quam nulla vel impedire, vel coercere humana vis posset, cum tamen divino ita illa subsit imperio, ut Divina immutare Jura nequaquam possit; ita enim Vicaria potestate Ecclesiæ preest, ut Christi minister non vero omnino par, ut ita dicam Collega in Ecclesia regenda dici debeat: quin & ita Aristocratia quadam Monarchicum hoc Ecclesiæ regimen temperatum Theologi agnoscunt, ut proprio suo jure ac potestate cæteri etiam Episcopi, pro sua quisque parte, sint *positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*; quæ cum a tot Catholicis Doctoribus, qui *de Romani Pontificis Primatu* innumera pene Volumina ediderunt, uberrime jam explicata sint, supervacaneum est, repetita rerum recordatione fatigare lectores.

X.

Nella seconda parte di questo strano discorso imprese di rispondere a quelli, che sostenevano, che i Vescovi ricevevano la loro autorità da Gesù Cristo. Sostenne arditamente, che secondo molti Dottori Cattolici gli Apostoli erano stati ordinati Vescovi da S. Pietro: Falsum primo est *in secunda Orationis suæ parte* hæc pronunciasse Lainium, cum in ea hoc tantum sibi proposuerit, ut propriam explicaret probaretq. sententiam. *Dichiarati i vocaboli, discese alla seconda parte, che era il proferir la sua propria sentenza: Affermò, che la Podestà dell' Ordine Episcopale vien da Dio immediatamente in tutti gl' individui: quella della Giurisdizione essere da Dio immediatamente in genere*, cioè in alcuni *come in Pietro e ne' suoi Successori, e secondo ch' egli teneva ancora in tutti gli Apostoli per ispecial privilegio: negli altri, come ne Vescovi particolari, proceder essa per interposito mezzo da Dio, immediatamente dal Papa* .... Passò poi alla *terza parte, che era il rifiuto degli argomenti contrarj*. (Stor. del Conc. Lib. XVIII. c. XV. n. 6.) Falsum deinde est, in ea fuisse sententia, qua crederet a Petro cæteros Apostolos Episcopali fuisse dignitate inauguratos; neq. id affirmare ille poterat, cum ultro adversariis daret, a Christo immediate tam Ordinis, quam Jurisdictionis Potestatem Apostolos, accepisse. Tertio tandem, ut Scriptori daretur, hoc istud ipsum fuisse a Lainio propositum, apertissimæ dementiæ, immo audaciæ est, hanc ipsam ob causam, *audaciæ* Lainium insimulare. Nam etsi plerique ex probatissimis Theologis in eo consentiant, a Christo electos Apostolos suos, cum Sacerdotio, tum Episcopatu fuisse insignitos, haud tamen, vel ignorantiæ, vel temeritatis accusari is posset, qui a Petro, saltem aliquos inauguratos fuisse contenderet. Id enim ex Patribus, Theologisq. non pauci senserunt, uti scriptum est, a Bellarmino, Suarezio, Valentia aliisq. quos refert P. Thyrsus Gonzales S. I. in Opere suo: *de Infallibilitate R. Pontificis*). Verum ad novas imperitissimi scriptoris, Lainium incusantis ineptias elevandas convertatur oratio.

XI.

Sostenne nella Congregazione de 24 Luglio: Che il matrimonio clandestino, non è male di sua natura: ... Non fu questa la sola volta, che Lainez avanzò alla presenza de' Padri, proposizioni sì strane .... Gli viene attribuito uno scritto, nel quale sforzavasi di mostrare, che i matrimonj clandestini non dovevano essere annullati, ma si fece poco conto di questo scritto: In un assemblea de 13 Settembre lo stesso, benchè Teologo del Papa, negò alla Chiesa il potere di annullare i matrimonj clandestini, e per provarlo disse, che la Chiesa per quindici secoli non aveva fatto simil legge: Gli fu risposto, che dal suo argomento seguirebbe, che i Concilj non potessero fare veruna nuova legge ec.

Extitisse, & existere etiam nunc mendacissimos homines, qui summa fraude ac malitia impellere in errorem incautos audeant experientia ipsa teste dignoscimus, at hominem existere, qui aperto impudentiq. mendacio, perspectæ ab omnibus veritatis lucem eripere, acrioriq. perspicacia cuncta pervidentibus effundere tenebras omni ratione contendat, id mihi, nonnisi ab illo qui a sana mente in apertissimam insaniam ac furorem inciderit, tentari umquam posse putavi. Atq. hoc illud est, quod de Scriptore hoc nostro, libere affirmare me posse plane sentio. Agitatam sæpius in Concilio Tridentino controversiam, qua irrita fierent matrimonia tam clandestina, quam ea quæ filii, parentibus invitis, inire tentassent, multis utrinque, magnoq. contentionum ardore, productis argumentis, autoritatibusq., sic tandem fuisse conclusam, ut reprobatis tantum conjugiis filiorum, parentibus invitis initis, clandestina tantum, idest illa, quæ nullo adstante teste celebrari consueverant irrita plane in posterum haberentur, nemo est qui ignoret. Acta vero Concilii percurrenti, nullam pene fuisse rem de qua tantopere Theologi Episcopiq. in disputationibus dissentirent, plane constabit. Lainium in ea stetisse, lite adhuc sub judice constituta, sententia, ut utrisque reprobatis conjugiis, non tamen irrita

in posterum habenda esse Patres decernerent, discimus ex actis Concilii, quæ diligentissime retulit Pallavicinus in Historia sua. Quæ igitur audacissima protervitas est, *ineptum audacemq.* Theologum nuncupare clarissimum, qui quoad licuit, eam sibi tuendam sententiam judicavit, quam, non ipse tantum, sed & non pauci ex Theologis, Episcopisq. probabiliorem censuerunt? Quod enim Lainius senserat, idem plurimi etiam Theologi, Episcopiq. senserunt. Exhibet Pallavicinus Historiæ suæ Libro Vigesimo secundo, (c. 4. per totum) quæ utramq. in partem fuere disputata a die 24 Julii usque ad 23 Augusti An. 1563, præcipuaque disputationis a Lainio habitæ capita refert (n. 25.) quæ non tam levia Patribus visa sunt, ut Scriptori huic nostro, qui, validioribus plane neglectis argumentis, leviora tantum, quo Lainii levitas deprehendatur, attigit. Verum de toto exitu disputationis audiatur Pallavicinus: *Questi furono i discorsi, che in quelle disputazioni udironsi, introducendosi per ascoltanti con assai di larghezza, oltre a Procuratori, molti principali Teologi. Le quali diligenze operarono di poi, e che fosse studiato più sottilmente in tal questione .... con torre in molto il potissimo inconveniente considerato dal Lainez, il cui scritto parere, anche prima, che a lui toccasse la volta, era corso per le mani, e avea mossi gl' intelletti di molti ec.* (Stor. L. XXII. c. IV. n. 27.) Atque hoc scriptum illud est, de quo Author Dictionarj affirmaverat, *che di esso si fece poco conto!* Non ergo potestatem negavit, sed quod expedire magis judicaverat, defendendum sibi proposuit Lainius.

XII.

Sed jam ad res a Lainio gestas in Conventu Possiacensi veniamus, de quo homine hoc prodiit e tripode Scriptoris nostri judicium. *Pio IV. impiegò Lainez ad accompagnare nel* 1561 *il Card. Ippolito d' Este, che andava Legato in Francia per il colloquio di Poissy. Fece ivi un discorso in opposizione a quelli di Beza, e di Pietro Martire. I suoi primi tratti furono diretti alla Regina Catterina de Medici. Ebbe esso il coraggio di dirle, che non toccava ad una femina ordinare conferenze di Religione, e che usurpava il dirit-*

to del Papa. Per tanto disputò in un Assemblea, che riprovava, e fra molte buone cose gli scapparono molte puerilità.

Desumpta hæc, seu potiùs excripta a Thuano sunt, qui Historiæ suæ Libro XXVIII. ad ann. 1561 hæc de Lainio, falso non minùs, quam audacissime pronunciavit: *Biduo a postremo colloquio* (VI. Kal. Octob.) *in colloquium reditur, & Beza coram Regina orationem de scripto habuit .... Venerat hac Hispanus quidam e Sodalitio Jesuitico, ab Hippolyto Atestino Ferrariensi Cardinali, qui nuper ad Regem a Pio IV. legatus fuerat, missus. Is erat Jacobus Laynius, ... qui interfatus, cum contumeliosa multa in Protestantes effutisset,* simias, vulpes & monstra *appellans ... postremo Reginam increpuit, quod harum rerum, quæ minime ad ipsam sed ad Pontificem, Cardinales & Episcopos pertinerent, cognitionem caperet; nec fas esse dixit, dum Concilium universale celebraretur, hic privatum colloquium Reginæ authoritate institui. Hominis arrogantiam tulit impatienter Regina, sed Legati reverentia injurias dissimulavit.*

Integram rerum in hoc Conventu gestarum seriem ex Sacchini Historia exhibere Lectoribus possem, qua sola inspecta, malitiosi calumniatoris protervitas agnosceretur, sed ne a proposita mihiq. necessario servanda hujus scriptionis brevitate vagetur oratio, ea tantum subjiciam, quæ ex eodem Sacchino contractiori sermone retulit Patrignanus: *Gran tumulti erano in Francia per sollevazion degli Eretici; onde per acquietarli il Pontefice nel* 1561 *spedì là suo Legato il Card. Ippolito d'Este, e gli deputò per compagno il Lainez* (is ergo est *Hispanus ille quidam* a Thuano dictus) quasi vero in re tam gravi, hominem e trivio prorsus ignotum Pontifex ablegandum decreverit, cum nonnisi doctissimum prudentissimumq. mitti oporteret, neq. id sane fugit prudentissimum Pontificem, qui præclarissimo Cardinali, doctissimum pariter Theologum comitemq., magnoq. ideirco ab ipsomet Pontifice in prætio habitum destinavit.) *Entrato in Parigi si portò col Cardinale al celeberrimo Congresso di Poisì, dove col Re, colla Reina era il fior della Nobiltà, 5 Cardinali, 40 Vescovi, Duchi, Consiglieri e*

20 *Dottori della Sorbona: dalla parte de' Calvinisti, assistevano Pietro Martire, Teodoro Beza, Agostino Mallorato*, aliiq. non pauci quis ipse refert Thuanus. *Non comporta questo ristretto il narrar questa Disputa, ove a maraviglia spiccò la dottrina, e il zelo di Lainez. Dal disputare entrò all'esortare i Principi e nominatamente la Regina, a prender la difesa della Cattolica Religione e parlò con tanta efficacia e pietà, che mosse a piangere gli uditori:* (quamquam si Thuano fides habenda sit, Regina, qui cum cæteris aderat Lainiumq. disputantem audierat, tam a lacrimando abfuit, *ut hominis arrogantiam impatienter tulerit.*) *Il Cardinale diè opera, che quella esortatoria Concione* (quam Regina *impatienter tulerat*) *si mettesse alle Stampe, tanto la stimò degna e profittevole alla Religione* (quin animadverteret parum admodum religioni profuturam Concionem, quam adeo *impatienter* Regina ipsa tulisset). *La Reina più non volle trovarsi presente alle dispute de Calvinisti* (& illa Concione, quam tulerat *impatienter* commota) *proibì le loro Conventicole e cene.* (Patr. Menol. 19. Genn. 1565. n. IX.) Eadem ferme judicia de Lainio protulere Catholici duo præstantissimi Historici, a Lagomarsino relati, nempe Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson (Op. T. VII. pag. 195.) & Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad hunc annum 1561. n. XXII. *Pontifex autem; ubi certior factus, colloquium nullo fructu solutum, magnam inde sensit lætitiam, & laudatis Catholicis, qui strenue sese in eo gessissent* (quos inter erat certe Lainius ab ipsomet Pontifice ad Conventum missus) *e contrà Orationem Cancellarii* (Hospitalii, quem Thuanus collaudavit) *tamquam multis partibus hæreticam ad Inquisitionis Tribunal citandam interminatus.* Quod autem *nullo sit fructu* Conventus iste solutus, *magnamq. inde senserit Pontifex lætitiam* id factum puto, quod indicto jam apertoq. Ecclesiæ Concilio, a quo erant expectanda de Religione judicia, minus apti ejusmodi Cœtus esse videbantur ad compescendam Eterodoxorum audaciam, qui Concilium ipsum aversabantur, & spe Nationalis Concilii freti, tumultuosis hisce Congressibus, supremum Ecclesiæ judicium facile se evasuros con-

ædebant, cum præsertim Aulicorum, Reginæ blandientium machinationes facile possent Apostolicæ Sedis Legati, & Episcoporum perturbare judicia, quæ potior causa Lainio fuit ut in ea quam habuit Oratione, eos ad Ecclesiæ judicium audiendum in Concilio hortaretur, Reginamq. ipsam serio, at non *audacter* commoneret, ut Religionis negotiis Episcopis Ecclesiæq. relictis, non se iis implicari sineret disputationibus studiisq. quorum a Deo, non Regibus, sed iis, quos Ecclesiæ suæ regendæ præsse voluerat, credita esset administratio.

At contumeliosum fuisse in Calvinistas Lainium, qui eos *Simias Vulpesq.* compellarit, a Thuano scriptum est, qui primo, si quid contumeliosius in Bezam, cæterosq. ejus asseclas pronunciasset, liberius loquendi, castigandæq. illorum impietatis auctores haberet præcipuos *Turnonium*, ac *Lotharingum* Cardinales, quos impudenti Bezæ oratione commotos, Regem ipsum compellasse commemorat, ut Beza, sociosq. severiori animadversione compescendos decerneret, qui *multa indigna, & in Deum contumeliosa effudissent, quæ Regis ipsius aures, & piorum omnium offenderent*, & illud etiam addentes, nisi *Regis, & ipsius mandatorum rationem habuissent Antistites, ad horrenda, & abominanda verba, quæ modo pronunciata essent* (a Beza) *insurrecturos ec.* (Thuan. Histor. L. XXVIII.) Quo sane loco illud etiam ex Lagomarsino sic scribente referam. *Quod vocabula illa, in quibus contumelia tanta in Protestantes a Thuano fuisse dicitur, nonnisi tropi quidam sunt e Sacris plerumq. Litteris desumti, quos ipse Lainius, non de Protestantibus nominatim, sed universe de omnium hominum genere qui se umquam a Catholica Religione removerint, usurpavit. In quo si ulla contumelia est, Sanctissimi quoque ac doctissimi Ecclesiæ Patres, qui similiter eosdem Sacrarum Litterarum locos de hæreticis interpretati sunt, nihilo minus, quam Lainius, contumeliosos in hæreticos fuisse dicendi essent.* (Lagom. in Ep. Pogiani LXVII. Vol. II, p. m. 333.)

At in Reginam pariter, Regia majestate contempta audacissime contumeliosus fuit, cum *i primi tratti furono diretti alla Regina, dicendo ec.* Mitto, quam falso Author

scripserit: *i primi tratti furon diretti ec.* cum Thuanus ipse scripserit: *postremo Reginam increpuit ec.* (loc. sup. cit.) At levis fortasse culpa est, a duce magistroq. suo, novo excogitato mendaciunculo scriptorem nostrum recessisse. Quid de incredibili Lainii in Reginam audacia dicemus?

At prætermittendum primo non est, quid de Regina ipsa probatiores Historici retulerint, quo toleranda saltem, si non plane laudanda, Lainii si qua fuit, in ea monenda acerbitas videatur. De illa igitur hæc memorat Pallavicinus: *La Regina, benchè Donna di spiriti alti, nondimeno dominata, comè era fama, dall' ambizione di dominare (timidissimo affetto) serviva perciò a tutti, è insospettita per la potenza de' Signori di Guisa, studiava di allacciare a se quelli della contraria fazione: sicchè veggendo quanto fosse tra loro il favore di Pietro Martire, e di Teodoro Beza, Capi di Eretici, usava troppa facilità e piacevolezza in udirli, ... con iscapitamento di fama nella Religione: benchè il tenore de' fatti poi dimostrasse, che la ragione di Stato aveva ben talora intiepidito il suo zelo, ma non depravata mai la sua Fede.* (Istor. del Conc. Lib. XV. c. XII. n. 1.) Illam ergo in eo reprehendit, seu potius monuit Lainius, ne se hæreticorum partibus, minus quam in Regina, quæ tunc omnia moderabatur par esset adversam ostenderet, neq. eo quæ Ecclesiæ judicio dijudicanda sint, prophano vellet judicio perpendi. Qua in re non audacem, sed in Dei causa strenuum defensorem licebit, opinor, Lainium appellare, qui cum Hosio illo Cordubensi Constantium Imp. monente, ne Ecclesiastica negotia tractare præsumeret; Reginam pariter admonere non timuerit, *Ne te rebus misceas Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit ... ita metue ne si ad te Ecclesiastica pertrahas magni criminis reus fias.* (ap. S. Athan. Epistol. ad Solit.)

Quamquam in re facto ipso explorata, argumentatione uti supervacaneum arbitror. Extat enim ipsa Lainii Oratio ad Reginam habita, quam Italice ille, cum Italam Reginam alloqueretur pronunciavit, at in Latinam lin-

guam a Sacchinio conversam, ea fidelitate *ut prope verbum verbo redderet* quemadmodum ipse ait, retulit Lagomarsinus (in adnot. ad Ep. Pogiani LXVII. Vol. II. p. m. 335.) Hujus capita quædam exhibenda Lectoribus judicavi, quibus aperte constet, nihil verecundius, ut ipse loquitur Lagomarsinus, nihil moderatius, nihil verius a quoquam dici tunc potuisse. In Exordio: *Quamquam, Regina in aliena rep. hospes curiosus non debet esse, tamen, quia Fides sancta non unius propria Nationis, sed comunis & Catholica est, ne quaquam alienum arbitror majestati vestræ significare ec.*

De hæreticis vero Petro Martyre & Beza, hæc subjicit: *& privatim ad quædam, quæ frater Petrus Martyr, & Collega ejus* (Beza) *in mentem venit, ac primum, quantum ego lectione usuq. perpetuo comperi, res est ingentis periculi cum iis agere, qui ab Ecclesia Sancta deficiunt, eosq audire. Nam, ut in Ecclesiastico est*, quis miserebitur incantatori a serpente percusso, *& omnibus, qui appropiant bestiis? Qui Ecclesiam deserunt, eos divina Scriptura* lupes in vestimentis ovium *vocat &* vulpes, *ut inteligamus ab iis cavendum esse propter eorum in primis simulationem & dolos*: (quod cum Pelagianorum exemplo confirmasset) hæc addit:

In peroratione: *Quare mihi, Regina, succurrebat Majestati vestræ remedia afferre duo ... Prius est, ut vestra Majestas intelligat, nec suum nec humani cujuspiam esse Principis agitare res Fidei, quod talibus Principibus harum potestas rerum non est .... Sacerdotum igitur hoc est negotium, & quoniam res Fidei causæ sunt majores, ad Sacerdotem Summum ac Generale Concilium statuere de his spectat: quod Concilium, cum in præsentia apertum sit, nec æquum, nec legitimum videtur Conventus hos habere .... Ergo remedium ... est ut vestra Majestas illos ad Concilium mittat.* Atque hic benignitate Ecclesiæ exposita, qua neminem a suo sinu repellit, promissaq. accessus ad Concilium securitate, dissentientes etiam a se Hæreticos ad sua promenda consilia hortari non desinit, ac sic tandem concludit: *Ultimum remedium est, ut quando vestra Majestas istorum miserta, ut indulgentia & caritate in eos utatur, si quo*

modo demereri & reconciliari Ecclesiæ queant & si disputari vult, id fiat dumtaxat coram Doctiss. ec.) Atque hæc illa Oratio est, quam ita *audacter* a Lainio pronunciatam contendit Thuanus, in qua; (sic Lagomarsinus) quis umquam contumeliosa illa in Protestantes, ac præsertim *monstrorum* appellationem recognoscit? ubi vox ulla Lainio excidit; qua Reginam increparet? ubi hominis *arrogantia*, ubi *injuria* illa tanta existit, ut illam *impatienter ferre*, & tantum *Legati reverentia* dissimulare Regina debuerit? Nonne sunt omnia a præpostero hoc Historico, (& a nostro etiam Gallico Scriptore) relata ad rei veritatem obscurandam; conficta & composita? (in Not. Pog. sup. relatis.)

XIII.

Sed jam ad alterum mendacissimæ improbitatis, & ignorantiæ caput veniamus; quo Lainii criminationem, ita cum totius Societatis causa conjunxit; ut eum ipsius Societatis *Eversorem* effingeret, cum ipsius Institutoris Ignatii sibi non plene probanda consilia in pejora convertere, ambitione quadam abreptus Lainius conatus sit. Ac primo de S. Ignatio hæc mendacissime protulit. *S. Ignazio nutrito nell' opinione del potere assoluto del Papa, credette, che fosse duopo erigere la Società in Monarchia.* Quid sibi ista velint, vel quo pacto cohæreant, plane non video. Monarchicum Ecclesiæ statum plenamq. in ea regenda Pontificis Potestatem Catholici plane omnes (non Ignatius tantum) eo; quo supra explicavimus modo, senserunt ac plane agnoscunt, neq. id omnino negare Catholicum est. At, hanc potissimum ob causam, Monarchicam regendi formam in sua Societate constituisse Ignatium, sanus nemo crediderit, cum contrarium evinci ex eo facile possit. Qui enim omnia in Pontificis Potestate posita fatebatur, Societatis a se conditæ jura, non in Præsidum Monarchica potestate, sed in supremi totius Ecclesiæ Antistitis voluntate, plenoq. jure collocare debuerat, & revera collocavit. Nam etsi verum sit, Societatis regimen ita ab unius Præpositi Generalis nutu, atq. imperio pendere, ut Monar-

chicum dici hanc ob causam possit, ut doctissimæ demonstravit Suarez (T. IV. de Relig. Lib. X. c. 1.) tamen & ipsa est R. Pontifici *in spiritualibus* plene subjecta (ibid.), atq. ita Aristocratia quadam temperatum hujusmodi regimen ita voluit Ignatius, ut cum suprema Pontificis potestate in Ecclesia regenda conferri non possit. Nam *Congregatio Generalis maximam habet* (ut cum Suarezio loquar), *in Societate Jurisdictionem ... nam primo potest Generalem eligere, cui consequenter totam comunicat jurisdictionem, quam ipse habet. Secundo, quia etiam post illum electum manet illi superior ... unde potest non solum illum obligare suis legibus, sed etiam punire, vel interdum deponere, si causæ legitimæ adsint. Tertio habet potestatem statuendi jus perpetuum, & illud mutandi in eadem Societate &c. Atqui hi actus ita sunt proprii Congregationis Generalis, ut jurisdictio ad eos exercendos in nulla singulari persona inveniantur.* (Suar. de Rel. T. IV. Lib. X. c. IV. n. 3.) Quæ quantum a R. P. potestate differant, plane constat. *Unde* (pergit Suarez) *ne similitudo supra adducta* (Monarchici regiminis) *putetur æqualitas, cum revera non sit nisi imitatio & participatio quædam, est hæc differentia, quia regimen Ecclesiasticum reducitur ad unum supremum Prælatum, qui non solum alteri homini in terris, verum neq. alicui Comunitati subjectus est ... at vero Generalis Præpositus non solum habet Superiorem personam cui subjectus sit, scilicet Pontificem, quod ex specialissima etiam Societatis lege necessarium est, sed etiam subjectus est ipsi Societati, a qua & dirigi, & corripi, & si necesse est, puniri ac deponi etiam possit: ratio autem clara est, quia Pontifex non ab Ecclesia, sed a Christo habet immediate potestatem: Generalis vero habet a Societate, juxta modum in ejus Constitutionibus præscriptum, & a Summis Pontificibus confirmatum.* (Suar. Lib. cit. c. 1. n. 14.)

Verum absurdissima sunt, quæ de Soc. Constitutionibus ex aliorum sententia (pudebat enim fortasse affirmare ex sua) refert: I. Lainium Authorem *Declarationum*, quæ Ignatii Constitutionibus additæ sunt, quod plane falsissimum est, neq. umquam ab ullo Soc. Scriptore adsertum,

uti ab imperito isto authore scriptum est. Audiatur Daniel Bartolus „ *E da sapersi, come il nome di Costituzioni del Santo, comprende ugualmente il Testo, e le Dichiarazioni, che gli si veggono a lato, ciò che non saputo da alcuni, ha fatto lor credere e dire, le Dichiarazioni esser fattura del P. Girolamo Natale, o del P. Polanco. Ma elle indubitatamente sono del S. Padre, il quale fin dal principio, organizzò e divise in tre parti tutta la materia dell' Istituto, scrivendo separatamente, quel ch' era da collocarsi nel Corpo delle Costituzioni, e quello che per più chiarezza da aggiugnersi nelle Dichiarazioni, e quel che da porsi nelle Bolle sostanziali, in confermazione dell' Istituto. Cotal ripartimento ci mostrano gli antichi manuscritti, che ne abbiamo, e quanto alle Dichiarazioni si veggono ancor in esse, cassature, aggiunte e mutazioni di propria mano del Santo.* (Vit. ed Istit. di S. Ignaz. Lib. III. n. 9. p. m. 205.)

Addit II. judicium ab Alegambio de Constitutionibus pronunciatum, *che non sono state scritte da industria umana, ma che sono state per quanto sembra ispirate dalla Divinità* „ At scire debuerat, non ita hæc intelligenda, ut quæcumque Ignatius, cæteriq. Religiosorum Ordinum Parentes servanda constituerunt, ita Deo sint inspirante conscripta, ut de Lege Moysi tradita Sacræ Literæ nos docuerunt. Intelligi hoc tantum, qui hæc de Soc. Jesu predicarunt voluere, ut cum Suarezio loquar, *non fuisse hoc humanum inventum, nec B. Ignatium solo suo humano ingenio, aut virtute tantum negotium inchoasse, sed Spiritum Sanctum fuisse principalem hujus Religionis Autorem..., Quod sane non aliter fecit Divina Sapientia, quam Ignatium speciali instinctu suo illuminando, & ad tantum opus excitando, & movendo, quod plane senserunt Pontifices Summi:* Paulus III. *in Bullis suis, de Ignatio & Sociis semper dicit* „ *Spiritu Sancto, ut creditur, afflati:* Julius autem III. simpliciter etiam dixit „ *Spiritu Sancto afflati*... Gregorius XIII. in Bulla „ *Quanto fructuosius: ad quem finem Spiritus Sanctus... Ignatium Loyolam excitavit.* (Suar. de Rel. T. IV. Tr. X. Lib. I. c. IV. n. 3. & seq.

Addendum etiam illud est, quod cum tot Summorum

Pon-

Pontificum Decretis fuerit instituta, approbata, & confirmata Societas, sitq. apud Theologos exploratum, in Religiosorum Ordinum approbatione Pontificem errare non posse, non ne a Patre luminum tum ispirante, tum excitante, tum auxiliante illa omnia profecta esse jure putabimus, quæ nulli obnoxia errori, immo sanctissime constituta Jesu Christi Vicarii definierunt? nisi forte Authori nostro de Soc. Jesu arrideat Kemnitii perfidissimi hæretici dictum, a *Romano scilicet Pontifice fuisse excogitatam, ut labentem suam Ecclesiam fulcire aliquo modo posset* (V. Payva de orig. Soc.) Quod, ut optime notat Suarez, ab hæretico in opprobrium Societatis dictum est, ignorans autem quid diceret, summam de illa laudem protulit. (loc. sup. cit. n. 11.)

Quamquam non Alegambii, sed Ignatii ipsius testimonio probare id facile possumus. Audiatur denuo Bartolus „ *In segno di che... sopra il Capo di S. Ignazio, mentre scriveva le Costituzioni fu veduta posarsi quasi una lingua di fuoco d'un non so quale apparente splendore, in testimonio lui essere in quell' atto, ripieno della luce e del fuoco dello Spirito Santo.... Richiese egli una volta il P. Diego Lainez, se gli pareva, che Iddio a' Fondatori di Religioni avesse rivelata la forma e le regole de' loro Istituti? E rispondendo il Lainez, che sì (almeno quanto alle cose sustanziali) altrettanto credo io, ripigliò il Santo, stimando ciò di essi, da quello, che forse egli ne aveva sentito in prova.* (Bar. Istit. di S. Ign. Lib. III. p. m. 205.)

At his non plane contentus Author, eo audaciæ progressus, ut Lainium dominandi percupidum Authorem fecerit de Præpositi Generalis perpetuitate constituenda immensaq. propemodum illi collata potestate, ut cuncta pro sua voluntate disponeret, *e in tal guisa all' equità, e alla semplicità Evangelica fu sostituita una politica, più umana, che Cristiana.* Atq. hæc illi præcipua ratio fuit, ob quam Lainius, *deesi riguardare come il vero fondatore e forse come il distruttore della Società.*

Itane vero, mendacissime, invidiosissimeq. Societatis calumniator, est a nobis de Lainio illo existimandum, de quo Ignatius ipse dum viveret, præclarum sane testimo-

nium dederat, cum sæpissime diceret „ *Che la Compagnia, a niun altro doveva altrettanto, e chiamavalo ogni cosa sua, ogni suo bene?* (Bartoli. Vit. & Istit. di S. Ign. L. IV. n. 8.) Miserum certe Ignatium, qui perniciosum hunc novarum rerum Autorem, suiq. operis eversorem in deliciis habuerit, neq. umquam de illo vel eiiciendo, vel castigando cogitaverit, qui in aliorum levioribus certe culpis puniendis, severior fuerit! Quamquam tui potius magis miseret, qui in Historia Societatis hospes omnino, non videris, non ab Lainio, sed ab ipsomet Ignatio perpetuam, quoad viveret, constitutam in Generali Præposito potestatem, cæteraq. jura illi attributa, quibus regia illa in regenda Societate, a te insulssissime irrisa potestas continetur. Disce igitur a Suarezio, quid hac de re tum ipse, tum probatissimi ætatis suæ Theologi judicaverint; proposita enim quæstione „ *Utrum expediat Generalem Soc. esse perpetuum?* iisq. adductis rationibus, quibus expedire magis videri poterat, ut non ad vitam, sed ad certum aliquod tempus Generalis Præses eligeretur, hæc ille scripsit „ *Nihilominus contrariam partem suadere possumus primo authoritate B. Ignatii* (igitur non Laynii) *Quæ non parum debet quemlibet prudentem hominem movere... Qui post magnam considerationem, & diuturnas orationes in Const. P. IX. c. 1. Statuit, ut Generalis ad vitam eligatur. Secundo accedet authoritas totius Societatis: nam in Congregatione prima Generali, ut patet ex toto decreto 45, cum de Successore Ignatii eligendo tractaretur, eadem res in deliberatione adducta est, tum ante, tum post electionem P. Jacobi Lainez Secundi Generalis, semperq. judicium Congregationis nullo suffragio discrepante fuit, Generalem debere esse perpetuum. Atq. hanc suam sententiam omnium suffragiis* (*præter ipsum electum* qui fuerat ipse Lainius) *atq. unum vel alterum qui discesserant consignatam ad Paulum IV.* P. M. eam *postulantem misit.* (Suar. de Rel. T. IV. Tr. X. Lib. X. cap. II. num. 2.)

Hæc præcipua sunt accusationis, per summam ignorantiam audaciamq. in Lainium conflata capita. Cætera quæ mendax Scriptor in Societatem crimina protulit, semel iterumq. imo centies refutata, prætermittenda duxi, ne consti-

tutos mearum enarrationum in Vitam Lagomarsinii a Parthenio scriptam terminos videar excessisse. Indicavi jam a corrupto Historico Thuano pleraq. hic congesta videri deprompta. Quam fuerit ille, ut se Catholicum sæpe profiteatur, hæreticis partibus hominibusq. addictus, pluribus ostendit Lagomarsinus in Actione illa in Thuanum ipsum, de qua Parthenius commemoravit, sed & Thuano addendus iniquissimus pariter ac mendacissimus Fr. Paulus ille Sarpius Venetus, quem patriæ suæ proditorem nominavi nec sane injuria. Hic enim ille est, qui cum ab Episcopatu, quem ambitiosissime expetiverat, R. P. judicio repulsam tulisset, in Apostolicam Petri Sedem eo exarsit odio, ut ingenii, quod non mediocre in illo certe fuerat, vires omnes conferret ad eam omni ratione obscurandam, evellendamq. in sua saltem Patria, si fieri posset, literarum commercio cum hæreticis ætatis suæ inito, quo nefariam *Religionis*, ut ajebant *Reformatæ* cum Veneta Rep. societatem conjungeret. Atq. id ab eo certe expectandum homine, qui, ut de illo doctissimus Bossuetius affirmaverat, jam a Catholica Religione desciverat, atq. ita sese occultabat, ut Sanctiss: Ordinis, in quo fuerat receptus, Veste tantum servata, hæreticum prorsus animum gereret, iis quotidie Sacris operatus, quæ idem ipse despexerat; cumq. vigere adhuc in Veneta Rep. debitam in Trid. Concilium observantiam animadvertisset, hoc illi ad religionem Catholicam servandam firmissimum eripere præsidium machinatus est, pestifera illa Conc. Trid. Historia, sub ficto Suavis nomine scripta, quam a teterrimo illo Apostata M. Antonio de Dominis Arch. Spalatensi, Jacobo III. Angliæ Regi nuncupari permisit aut potius optavit, in qua quot ab ipso confertæ sunt fictæ narrationes ac fabulæ (quarum usq. ad 361, recensuit in Historia sua Card. Pallavicinus) tot sunt improbatiores quosq. Theologos, immo & in Episcopos, Cardinales, Rom. Pontifices ipsamq. Petri Sedem jacta jurgiorum tela, quibus ille ab observantia Rom. Ecclesiæ debita, abducere lectores impio molimine studuit; obortis vero inter Venetam Remp. ac Pontificem Paulum V. dissidiis, non sibi excitatum incendium restinguendum duxit,

sed novo scriptorum suorum admoto pabulo, ita produxit, ut non iam amplius Majorum suorum inhærentes vestigiis Apostolicæ Sedis tutari jura Venetæ moderatores Reip. eniterentur, sed, propositorum a Sarpio consiliorum pravitate imbuti, ab antiqua observantia desciscerent, pravisq. in Religionis negotio, proprio nutu novitatibus inductis, Sacerdotii jura convellerent: Atq. hinc malorum omnium, quæ florentissimam olim Remp. penitus exciderunt, a pravo isto Venetæ libertatis defensore jacta sane semina, ut tempore *ex illo retro sublapsa referri*, tot laboribus constituta Resp. visa sit.

Laudatum quidem, tam ab vitæ Authore, quam a Grisellinio quodam recentissimo, & satis impudenti Scriptore Sarpii ingenium, mores, spectatissimasq. virtutes intelligo: quin & ita insanire, eo demortuo, Venetorum non pauci visi sunt, ut Sarpium suum, appensis votivis tabulis, incensisq. ad ejus sepulchrum facibus, tamquam e Cælitibus unum venerari contenderint. At nefariis ausibus Urbani VIII. obstitere decreta, quibus gliscentis jam mali vis subito extincta, ne in apertam superstitionem erumperet. Verum quoad vitam impresq. *cucullati hujus Hæretici* spectat, non deerit qui Historiam Sarpii ab doctissimo Præsule Justo Fontaninio scriptam propediem edendam curet, qua apertissime constet, nefaria hujus hominis eo spectasse consilia, ut ab obsequio Apostol. Sedis, atq. ab ipsa Catholica Religione sejunctis Venetis, Reformatam amplecti Religionem non erubescerent; at singulari Dei beneficio tribuendum, quod pestifero isto improbitatis sublato Ministro, impendens Venetis sit procella discussa, ne Catholica unitate discissa, in Schismatis barathrum, numquam fortasse emersura Resp. concideret. At ut gravi aliquo e morbo recreatis, quædam adhærere solent depulsæ pestis vestigia, quæ omnino convalescere ægros non sinunt, sic Venetis accidisse compertum est, qui Sarpio suo nimis addicti a veteri in Apostolicam Sedem observantiam interdum, haud æquis latis in Hierarchicum ordinem legibus, recesserunt: *mente*, *fractæ Imperii vires* conciderent: neq. enim firmum ex quo factum est, ut (Virg. Æn. II.) *Aversa* Numinis

illud esse imperium potest, quod quæ Dei sunt, Deo non reddat, ac studiose tueatur; quamquam, opportuno Dei cuncta moderantis præsidio contigit, ut veteri evulsa Reip. forma, in Augustissimi Imperatoris *Francisci II.* potestatem, Veneti venirent, qui avitæ Religionis, quam semper Austriaci Principes coluerunt, felix vere hæres ac tutor, ita Ecclesiæ patrocinium suscipiet, ut veteri a Venetis Civibus deleta macula, Apostolicæ Sedi ita obsequentes fiant, ut lætari illi, in tam luctuosa pristinæ libertatis jactura debeant, cum sibi videant in *Francisco II.* non solum Regem, & Principem, sed publicæ tranquillitatis Vindicem, veræq. Religionis Adsertorem, ac Tutorem, & Patremq. amantissimum obtigisse.

FINIS.

Addenda hic censui, quæ de piissimo obitu Mariani Parthenii, scripta legi in Libello quodam ejusdem Parthenii -- di Maria SS. del Mare -- *addita ab Anonymo ejusdem Libelli Editore Rom. 1786. pag. 199. (Georgius).*

Mentre la stampa di questa operetta stava sul fine, è seguita la felice morte dell' Autore di essa, che mirabilmente conferma quanto ha egli preteso provare cogli esempj registrati in questa appendice. Fù il chiaro autore l' Abate Giuseppe Maria Mazzolari d' una delle primarie, e nobili Famiglie di Pesaro, ornamento del nostro secolo per la sua singolar pietà non meno, che pel suo raro sapere, noto abbastanza nella Repubblica Letteraria, come si può vedere presso i Novellisti Fiorentini, e presso gli Effemeridisti Romani n. XI. 1776. 16. Marzo, per le dotte, ed eloquenti sue Opere, nelle quali si coprì sempre sotto il nome di *Giuseppe Mariano Partenio*. Fu egli insignemente divoto della Santissima Vergine. Le Congregazioni di Maria Santissima da lui dirette per

tanti anni; i suoi continui divoti pellegrinaggi alle miracolose Immagini di lei che si venerano in Roma; Le Novene, e divoti Opuscoli da lui stampati in onore della gran Madre di Dio; le sue Missioncelle annue per più di venti anni seguiti al Santuario della Santissima Vergine detta della Mentorella, ove dopo morte ha inviato il suo Cuore, sono tutte attestazioni della sua impegnata divozione verso la Regina degli Angeli. Mentre però godè perfetta salute, siccome non riputò mai la sua divozione verso Maria Santissima tale da potersi paragonare con quella de' Santi, che ammirava nei sopradetti esempii; così sempre riputossi indegno di quell' amorevole protezione, che quelli ne goderono in morte. Essendo egli di natural temperamento ipocondriaco, e fornito di gagliarda, e tetrica fantasia; per sin che fu sano, stava per lo più fisso nel terribile pensiero: *Quid sum miser tum dicturus, quando Judex est venturus cuncta strictè discussurus?* ed ebbe sempre un grandissimo timor della Morte. Quando però in lui si manifestarono nel Marzo di quest'anno 1786 i primi indizi di quella lenta Idropisia, che finalmente l'ha tolto di vita, si sentì levato affatto dal cuore il primiero orror della morte, e sostituita in cambio una tenerissima allegrezza, onde pro-

ruppe in dolcissime lagrime, e in un cantico di lode a Dio, e di ringraziamento all' amorevole sua Avvocata Maria, e un tal cambiamento di cuore lo prese per indubitato indizio, che di quel male avea da morire. D'allora in poi provò sempre una somma contentezza, e una pace grandissima di spirito, e l'unico pensiero fu il premettere, colló spoglio di tutte le sue robicciuole, in Cielo per mano dei poveri tutti i suoi averi. Entro la Novena dell' Assunta si pose in letto, e fu munito degli ultimi Sacramenti da lui ricevuti con somma divozione, e desiderio grande di vederne, come S. Stanislao, la Festa in Cielo, sebbene, stimandosi indegno di tanto onore, non osò mai di chiedere a Maria Santissima questa grazia. Giunse la Novena della Natività della Santissima Vergine, e sempre più gli si accesero in cuore i medesimi santi desiderii, ma nemmeno allora osò di chiedere di vederne in Cielo la Festa, riputandosene indegno. Non lasciò però di confidare, che almeno dentro la sua Ottava la Santissima Vergine si sarebbe degnata di accoglierlo; e in fatti sulla sera de' 14. Settembre, all' entrar nell' Ottava della Natività, parve, che la Regina degli Angeli si degnasse di esaudirne le brame, chiamando a se questo suo singolare divoto, stato sempre presente a se stesso sin qua-

si all'ultimo, per condurselo, come piamente crediamo, agli eterni riposi; ed ecco, che anche dalla morte di lui può dedursi, quanto amorevole la gran Madre di Dio si dimostri in morte a coloro, che con ogni impegno si sono sforzati di onorarla essi, e farla ossequiare da altri in vita.

EDITORIS MONITUM AD LECTORES.

Parthenii Autographum, Roma absens inspicere non potui, quo fieret exempli, quod exscribendum Carrara curaverat hæc Editio accuratior, nec Roma illud Venetias mitti potuit, pluribus exortis impedimentis, nec si potuisset, magna huic Editioni utilitas accessisset, cum lituris ab ipso Parthenio non paucis inductis, pagellisque a toto Codice sejunctis totum ipsum Volumen, obrutum interlitumque inspiciatur. Amicorum tamen, qui Romæ degunt opera studioque factum est, ut duabus tantum lacunis, quas conjiciendo tamen, dum Operis hujus inchoata jam esset impressio suppleveram, propria a Parthenio scripta verba inseri possent, quæque hic Lectoribus exhibendas existimavi, scilicet.

Num. II. Pag. 18 -- *hanc porro affinitatem, & agnoscere & fateri non dedignatus est Clemens XIII. &c.*

Num. XCIII. pag. 118 -- *virtutibus ipsis præfinitum vitio laborat virtutis inimico.*

In reliquis vero mendis, quæ Lector deprehendet, pleraque sunt ejusmodi, ut ea suo judicio prudentiaque corrigere legendo possit, cum unius interdum litterulæ, vel omissio, vel adjunctio, vel immutatus ordo a recta scriptione deflectat.

Majora errata duo tantum hic recensenda sunt, quorum hoc primum est, quod in meis adnotationibus Num. 22 pag. 222 lin. 11. Ty-

pographi, sæpius, sed frustra a me moniti peccato excidit, quo in loco vox *disciplinarum* omnino delenda, & ad superiorem ejusdem paginæ lineam 8 sic referenda -- *in oratione illatua* -- *De vi ac ratione tradendarum disciplinarum*.

Alterum est, in quo oblivionem potius meam incusare debeam, qua factum est, ut *adnotationum* mearum numeri 31 32 33 34 35 non iis adscripti sint *Commentarii* locis, quibus debuerant; quem defectum facili ratione sic supplere Lector putent.

In Commentario pag. 142 ad ea verba -- *Pisonianæ orationis* addatur. Num. 31
Pag. 144. *Nobilis Scriptor* Num. 32
Pag. 152. *Scrupulos quosdam* Num. 33
Pag. 164. *quo nunc Romæ* Num. 34
Pag. 165. *ad Sepulchrum S. Peregrini* Num. 35
reliqua vero majora alia

ERRATA SIC CORRIGENDA

In Commentario Parthenii

Pag. 8 Lin. 10	desuderaverat	desudaverat
Pag. 69 Lin. 28	*Faernunus*	*Faernus*
Pag. 141 Lin. 27	Extenderet	extunderet
Pag. 195 Lin. 5	est	&

IN ADNOTATIONIBUS.

Pag. 197 Lin. 38	in ejusdem quas	in eisdem artibus, quas
Pag. 108 Lin. 38	implicatum	implicatus
Pag. 211 Lin. 8	supervauneum	supervacaneum
Pag. 220 Lin. 30	artium omnem	omnium
Pag. 257 Lin. 7	Sed ad ipsaq.	sed jam ipsa doctrinæq.
18	veniamus	in examen vocemus
Pag. 263 Lin. 19	id mihi	id ego

Venezia li 25 Settembre 1801.

L' IMPERIAL REGIO

GOVERNO GENERALE

VEdute le Fedi di Revisione, e di Censura, concede licenza allo Stampatore *Antonio Rosa* di stampare, e pubblicare il libro intitolato *Josephi Mariani Parthenii de Vitâ, & Scriptis Hieronymi Lagomarsini*, osservando gli ordini veglianti in materia di Stampe, e consegnando le prescritte tre Copie per l' Imperial Regia Corte, e per le Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

(*Grimani.*

De Ceresa Reg. Seg.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 071065475